AUGUSTA MAGNIFICENTIA,

SERENISSIMORUM SPONSORUM:

JACOBI,

POLONIARUM PRINCIPIS:

&

HEDVIGIS ELISABETH AMALIÆ,

PRINCIPIS ELECTORALIS,
COMITIS PALATINÆ RHENI NEOBURGICÆ,
DUCIS BAVARIÆ, IULIÆ, CLIVIÆ, MONTIUM, &c. &c.
DOMINÆ:

Regio eximiarum Virtutum opere

EXCITATA.

& ad auſpicatum Hymenæum,
è Voto lætitiæ publicæ,

A

M. MARTINO OSLINSKI,
Canonico S. Annæ, Collega Majore, Tyliciano in Univerſitate Crac: Profeſſore,

Venerabundo cultu

54. CELEBRATA.

Anno, quo magnificavit Dominus gloriam ſuam, M. DC. XCI.

CRACOVIÆ, Typis Universitatis. Impenſis N[illegible]

Heroicæ Virtutes, non nisi
Heroibus nubunt. *Livius.*

Iungite cõcordes mãsura in fœderã dextras,
Quæ non vlla dies, quæ non fata impia rũpãt.
Iungite iô SPONSI. *Quidam.*

AUGUSTA MAGNIFICENTIA.

SERENISSIMI PRINCIPES SPONSI.

AVſpicata ſub tám fauſto Splendorum Veſtrorum nexu, Auguſti Hymenæi celebritas, quantùm, inſigni ſua feſtivitate pandentibus viam lætiori fortunæ fatis, excitat in animis omnium lætitiæ; tantùm attonitis ad altiorem humanâ induſtriâ Magnificentiam, faceſſit negotii, quid velint, quidve ſentiant explicandi. Perſtringit oculos inſolitus tantæ Majeſtatis fulgor; tot luminibus, quot Principum in Europa Maximorum in hæc ſolennia còëuntium vota decoribus illuſtris; veriori, eminus etiam proſpectantes, quàm olim Cyneam implens ſtupore; ne non purpuram Regum intueri videantur, ſed Deorum conventum. Caligabit ad tantæ lucis nitorem, qui contra tueri audentiùs præſumat. Arcanum eſt, quod celſæ imperio ſpecies Majeſtate involvunt: ipſa ſui comunicatione, non omnibus æquè ſeſe communicare: cælo ut æmulæ fiant, cujus influxum & lumen non quælibet pupilla libero haurit obtutu. Divinius ju-

bar evibrant, quod colores omnes & ſolicitè quæſita abſumit ornamenta; ut nuda appareant, quæ curatiſſimum præferre videbantur apparatum; exquiſitam includere tincturam; vel ad omnem venuſtatem compoſito accedere cultu. Retundit in ipſo lumine conſciam tenuitatem ſumma etiam fatigans ingenia excultâ prudentiâ & examinatis verbis turgentia; & pænè ſubmovet obiecta veneratio. Cui enim ad tam ſacrum horrorem non torpeat animus? vel torpenti non concidat? vel cum voce non excidat? Equidem faciliùs eſt publicum gerenti genium, vultu geſtienti, quid ſentiat manifeſtare; quàm privato unius conatu quid capiat, ſi modo capere poſſit ingentium ſplendorum amplitudinem, exprimere. Quippê difficilè rebus verba reſpondent, ubi illuſtrius occurrit dicendi argumentum: elinguem ſe hîc ſentit facundia; & quæ in minoribus garrula, in auguſtioribus Nominibus & geſtis plerumq; fit muta Eloquentia; cùm neque parem rei dignitatem, neq; dignitati facultatem inveniat. Nec ſecurum eſt umbratile aliquid tantis animis obtrudere, quos ad grandioris ſapientiæ capacitatem, continuo magnarum rationū vſu, magiſtra poteſtas efformavit.

Ignorare videtur Hymenæi Veſtri magnitudinem, qui privatæ exilitatis decempedâ, præcellſam regnatricis gloriæ menſuram, ſperat attingere. Tenues conari grandia, vixq; oculos per tot miracula laſſos attollere audentes, terret culpa ingenii. Quibus magnifica auguſtorum Nominum æſtimatio pretium fecit, ſupraq; communem mortalium conditionem cæli æmulam aut cognatam indidit vim & eminentiam, altior Majeſtas; humani co-

natus

natus infirmitas ex nativa tenuitate nil commodabit, ſed neq; deteret quidquam. Supra vires eſt, quod nitimur imbelles; non extra Virtutem Veſtram, ô Principes Animæ, quæ ad inſtar Superiorum Orbium, tacitis fecundatis inferiora influxibus; Veſtris mundum volvitis ſucceſſibus, Veſtro motu publicam animatis fortunam.

Pulcherrimum hunc diem, cæleſti Hymenæi Veſtri auſpicio clariſſimum; opportunè admodum faventibus Superis, per deſideratam hanc animorum Veſtrorum conjunctionem, ſuo proludentibus levamini, læta concelebrat Polonia; in tam multiplicis fœderis ſanctitate, felicitatis ſuæ metiens incrementum, in tam Sacro Sereniſſimi Sangvinis libamine, firmæ deguſtans ſecuritatis certitudinem: depulſis nebulis, ſereniora auguratur tempora, quibus circumvolitans corda Veſtra Amor lætas accendit faces; pronubiq; conjugii Veſtri ignes optatam ſpondent malaciam. Ejus feſtivæ circumquaq; reſonantis harmoniæ, tota promiſcuè applaudit tripudio Europa; vota populorum, venerantium officia, effuſas paſſim gratulationes dulci concinnatas affectu inſtituit, componit, dedicat.

Paſcimur æquè minimi ac maximi in hoc publico lætitiæ ſenſu mellito Virtutum Veſtrarum illicio: recreamur auguſto Magnificentiæ apparatu, quem connexis explicatis glorioſè ſplendoribus. Exundantibus vbiq; gaudiis; etiam Phœbo Muſiſq, addicta pectora, animum pandimus laxamusq; officioſè affectui, quem in admiratione ingentum decorum planè hærētem, cura laborq; circumſtat, quomodo ſtudio ſuo reſpondeat, magis

autem tantæ rei dignitatem ſcripto' dictoq; adæquare ſufficiat. Attonitum, tantoq; lucis fulgore conſternatum, pallentem juxta ac rubentem, ſacroq; perfuſum horrore, pia gravitas & tantæ Majeſtati conjuncta comitas, ſuaviſſimis gratiæ radiis erigit, ſpemq; facit trepidæ pietati, templa tam auguſta, tam magnifica Veſtræ gloriæ ſubeunti, rudeq; aliquid & inconditum meditanti, paratam veniam. Indocili numero, nudaq; prece coli non dedignantur Superi; ſi quis puram caſtamq; mentem delubris intulerit. Nec fuit aliquando vitio etiam ſalſâ litare Divis molâ, cui Sabæa ſacris adnumeranda altaribus, thura defuerunt.

Inter votivos gratulantium applauſus; cùm paſſim lætitiæ cauſas cuncti expediant: illis inter pares Regno Spes occupatis: his fortunam, tantum par ſacro jungentem amore, adorantibus: illis ad auſpicia novæ inter gentes bellicoſiſſimas amicitiæ tripudiantibus: his Principum laudes multiplici panegyri celebrantibus; omnibus fortunatiſſimũ vitæ curſum, Charitum Gratiarumq; omniũ concurſum, optatiſſimum Votorum complementum, voce conjuncta precantibus: venerabundus ego auguſtæ Magnificentiæ ſpectator, velut è longo ſitu & tenebris prodiens, quamvis ſe plena oggerat lux, mediatâ ſaltem pupillâ inuſitatos hauriam ſplendores. Et dum connivente toties palpebra dividam immortalium Virtutum Veſtrarum lumen ne poſſim damnare improba vota, vſurpatæ audaciæ; Veſter, SERENISSIMI SPONSI, Divinitatis æmulator animus, minima neſcius aſpernari, illuſtre quaſi ſignum ſpei publicæ ſublatum; benigniùs affulgebit; aureum benevolentiæ jubar gratiùs

immittet

immittet: remq́; ſuis momentis æſtimare non ignarus, virtutis & fortunæ dotibus ſpectatiſſimus, obſequium hoc impar ſuo Nomine; non pretio, ſed religione interpretabitur.

Compos ingentis lætitiæ, dum meipſum inter tot ſplendorum cōmercia, capere non poſſum; materiâ quàm arte felicior; ut faciam quod debeo, plus etiam quàm poſſum conari me intelligo, ſi in ſola ampliſſimorum decorum Veſtrorum, SERENISSIMI SPONSI, quæ auguſtam ſemper Magnificētiam gloriosè explicant, contemplatione defixus, eam principe ſtudio & veneratione coluero. Quid præſtabilius ex tenuitate mea commodare Veſtræ Magnitudini valeam? hæc ſi Vobis placuerit, omne tuliſſe punctum ſibi videbitur; digna venire in conſpectum omnium, non ingrata hoſpes ubiq́; futura, cui pro innata, quâ præſtatis, benevolentiâ, SERENITATES VESTRÆ, indulſerint gratiſſimè pretium ac dignationem.

Magnificum eſt, quicquid in altum virtus extulit: non auro, non ebore, non argento, ut magnum os mundi Homerus edixit; ſed excelſa animi magnitudine, pulcherrimo præclarè factorum cultu, veræ gloriæ ſplendoribus ornandum. Optimi quique mortalium magnificentiæ dulcedinem ſentiunt, & cupiunt: ex merito altiſſima quæq́; capiunt, illiq́; ſoli poſſident capaci magnorum operum & decorum animo. Stimulis immortalis gloriæ adacti, tam honeſto paſcunt animum ſtudio; irrequietumq́; vaſtis cogitationibus cùm implent, conceptos ex attritu laudis ignes turbari metuunt; omnia lucis expertia vitant; quia ſuſpecta habent. Sublimes animæ cælo ut proximæ celſitudine, ita

conditione non impares, luce gaudent, & diffuſa magnitudine. Pretioſa potioris metalli vena, neſcit latere, quin ſe prodat manifeſtiùs, in luce pretium habitura. Gemmarum decus tantò illuſtriùs conſpicitur, quantò eminentius ornat faſtigium. Exaggeratus ad magnificentiam animus, horret veterum Philoſophorum in Zenonis Stoici Porticu, & pertinaci ſecta natam virtutem, ut parùm explicatam, triſtiq; concluſam carcere: beatam vitam glorioſis ac illuſtribus factis ad perennem nominis laudem, non in arida ſteriliq; virtutis imagine, ſed in nobilium operum æmulatione poſitam, feliciùs promovet; neſcit tamen quæſtuoſum, quã-quam exquiſitum, non tam dolandi, quàm adulandi artificium. Ementita, & ad inſanam ſtolidæ Divinitatis oſtentationem effi cta, Coſrois magnificentia; ridendané magis an dolenda? Orbis judicium eſto. Fruſtra, moles orbium cæleſtium agitare, Solis curſum promovere, Lunæ labores expedire, æternas micantium ſyderum converſiones diſtingvere, pluere, fulgurare, coruſcare, fulmina contorquere; fruſtra adumbrata ſpecie mortalis conatus nititur: non reſpondent Jovis imperia peregrino attributa ſupercilio. Tot Regum, tot regnorum opes, opus ſuperſtitioſæ pietatis, tot ſæculorum molimen, templum Epheſinum; tam grandis orcheſtra, ad unius noctis illuſtrationem ægrè ſuffecit. Dicite fervido agitata pectora entheo: Dianam, Lucinæ tunc officio functam, naſcenti Orbis Domitori commodâſſe ignes illos, ſeu non invidiſſe: certius eſt tripode Delphico effatum: humanæ ambitionis molimina, quò graviùs terram premunt, eò rapidiùs feſtinare ad ruinam.

nempè

nempè altiùs tolluntur, ut graviore casu ruant. Virtus quidquid admirandum in lucem protulit, firmam illi securitatem providit, ut stare possit ære perennius. Nescio ignobiliorine studio an eventu clarior; improba Cleopatræ profusio? regnum illa ad fastum Antonio propinavit: sed turpis magnificentiæ opinio, cum haustu unionis eviluit, disperiit. Non potu pretioso; at exercitio virtutis laborioso vera constat Magnificentia. Pyramides immani mole aspectabiles, Colossi, arcus triumphales, Orbis miracula, dum cælo caput inferunt, temporis spolium fiunt, & exhaustis ad pompam immensis sumptibus, nobilem ruinam in ruderibus quærunt. Quidquid vel materiâ pretiosum, vel artificio rarum oculos ludit; quidquid de arte venit, quod vincat naturam; fortunæ pignus est tam firmum, quàm ipsa: tanti æstimandum, quanti (quæ dum splendet, frangitur) vitrea supellex.

Excellentium animi decorum fulgor, origine & cultu cælestis, inde pretium habens, unde vera gloria pullulat, solus veram apparat & auget magnificentiam. Hic mira cunctorum animos admiratione rapit, detinet sine satietate, delectat sine fastidio, sæcula vincit sine periculo; senectâ formosior, vetustate augustior: saxorum colores pulchritudine premit; ludentibus in serum vellere Smaragdis, illudit gratiâ; lucentes per aurata cacumina uniones obumbrat splendore; fulgentibus omni ex parte pyropis nitorem præripit, vastas marmorum excedit moles: ubiq; æstimationem & amorem, vel invenit, vel relinquit. Tam augustâ hodie in vobis, SERENISSIMI SPONSI, spectamus venerabundi magnificentiam; hoc se probat

apparatu, ſacer VESTER Hymenæus; hunc ſplendorem glorioſè ſpargit per Orbem, hunc lætis excipit plauſibus Polonia. Quamquam verò Virtus & Fortuna ad exornandam hanc magnificentiam ſummo ſtudio contendiſſe, æquis paſſibus concurriſſe, videantur: vincit tamen eximius Virtutum Veſtrarum ſplendor, magiſq; oculos & animos in admirationem ſui trahit.

Primum Magnificentiæ decus, & pars illius potior occurris, SERENISSIME PRINCEPS JACOBE. Quàm multa uno ſub nomine dixi: quàm grande Magnificentiæ Nomen in anguſtias contraho! quàm auguſtam gloriæ imaginem, rudi penicillo abſolvo! Terminos Orbis, gaudentis vel metuentis, famâ & illuſtribus factis adimplens, quomodo levi coarctaberis pagina? Verùm Tuæ is Virtutis genius eſt, etiam in parvo nil exiguum, niſi molem corporis referre; nihil exile, præter ſpiritum nondum ætate confirmatum, exprimere: in arcto inſigne magnæ virtutis præferre ſpecimen. Animus ille magnificis deſtinatus operibus, jam in teneris excesserat artuum menſuram; priùs quodam modo capax ſapere, quàm aptus: priùs doctus, quàm eruditus: perſpicacitatem incredibilem, & quendam meridiem intelligentiæ, in ipſo velut exortu, pulcherrimè non abſq; ſtupore ſpectantium explicans. Ita eſt, meridiem in Aurora ſpectamus; Autumnum in Vere delibamus; in flore fructus numeramus, quoties magnæ prodeunt Animæ. Neſcit tarda molimina fauſtior Lucina: maturum eſt, cui cælum naſcenti auguſtius affundit lumen, cui Titan meliori fingens luto præcordia, dignum metatur hoſpitium, quod ſuppar incolat

colat

colat habitator animus. Excelſæ Mentes, Divinæ auræ portio nobilior, cum virtute naſcuntur; non longo diſcunt magiſterio, ut bonæ ſint: neq; creſcunt per incrementa in adultæ gloriæ maturitatem, quorum genethlia ſtatim fatis ſufficiunt. Vulgarium hæc ſors eſt cunarum, magnum nunquam dare niſi cum tempore, quia in turbam ſuccreſcẽs: Heroum geneſis in ortu gravida virtutis fecunditate, non jubet exſpectari, quod vivere publicæ ſalutis & felicitatis intereſt. Non augebo rem artificioſis antiquorum commentis: maximum Tu ipſe es, PRINCEPS SERENISSIME, Veritatis iſtius documentum: ille natus es, qui ſpes publicas, quibus nihil vaſtius; animos univerſorum, quibus nihil capacius, jam tum exæquares. Non potuit vigor ille igneus, Divûm ab alto ſangvine, intra venas & præcordia Tua defluens, nomen tantæ originis gerere inane: tempeſtivè uſſit, juſſitq; latentia Magnificæ Virtutis ſemina erumpere. Glorioſa tranſmiſſione receptam in Te originem, priſcæ lucis non egentem, per auguſta deductam culmina, quam inveniſti, magnificè declarâſti vel ipſo in ortu. Vis quæ ab origine pendet, quanta ſit, ſi docet Princeps Philoſophantium obſcurè; Tu evidentiſſimo epicheremate demonſtras; quod jam olim Nazarius obſervavit: Rapi ad ſimilitudinem ſuorum excellentem quamq; naturam; nec ſenſim ac lentè promere indicium boni; cùm involucra infantiæ rumpit ingenium. Ipſa ortus Tui ſublimitate fultus, illum occupas gloriæ verticem, qui ſumma quæq; complexus eſt: ut, quidquid hactenus noſtra Sarmatia venerabile coluit, quidquid ſelectiſſimum habuit vel ſuſpexit, quidquid auguſtũ

 vidit

vidit, aut videre & diu colere peroptat; in Tuorum confluat ſplendorum gratiam. Beata quietos pace non evocabo Manes, ut Tuis miſceam laudibus: quamquam non mediocre pondus eſt, æterna memoria Magnorum Nominum Avi, & Proavi, de Gente Polona & genere humano meritiſſimorum Heroum: quibus omni titulo majoribus, utramq; Solis domum famâ attingentibus, in teſtimonium Virtutis & gloriæ nihil ampliùs defuit, quàm Regium Coronæ Decus, Diadema, Sceptrum & Purpura: non ideò tamen Regio indigni titulo, Regum Progenitores & Majores.

At quis fando, mortalis audaciæ ſtimulum in obſequium traducens, dignè attingat ſummam in immenſa Virtutum & gloriæ ubertate Majeſtatem, SERENISSIMUM ac INVICTISSIMUM JOANNEM III. Auguſtum PARENTEM TUUM, REGEM & Dominum Noſtrum Clementiſſimum, ut Tuæ velificet celebritati? Non domeſtica tantùm fatiſcunt ingenia, ſub tam excelſo Nomine: cultiores quoq; Nationes, quibus integrum judicium eſt, in tantæ Majeſtatis gloria certatim laborant, ampliùsq; laborabunt. Immortalia Tua, ò AUGUSTE noſter, in nos, remq; Chriſtianam merita raro pietatis, raro fortitudinis exemplò, ad miraculum Orbis, ad imitationem Principum, ad incitamẽtum Heroicæ virtutis erecta trophæa prouocant ad gratitudinem omnium conſcientiam, dum ſingulorum vota feliciſſimè abſolvunt. Quamquã verò nullum tam plenum ingenium, tam dignam eloquentiam humana induſtria proferre poteſt, quæ parem auguſtis Tuis operibus afferat faculta-

tem:

tem: grata nihilominùs benefactorum memoria, ignobile dedignata silentium, dulci saltem repetet recordatione sacrum Nomen Tuum, traditura posteris. Fuisse Magnum IOANNEM, verè à DEO missum, qui DEI causam prodigo vitæ spiritu promoueret, stupebit ventura ætas: nec antiquis suos inuidebit Alexandros, Iulios, Augustos, & tot fulmina belli, Tuæ gloriæ, Tuorum gestorum retracta magnitudine. Mereris Regum Fortissime ac Optime; omnium amores, omnium affectus & studia, vt dulciùs spirent, quò maioribus cumulantur beneficijs.

Perieramus sæva bellorum tempestate dirum in modum jactati, cùm velut evulsis ab imo cardine Scytharum, Cosacorum, Turcarum, & conterminarum gentium diluviis, totus ferè in nostrã perniciem conjuraverat Orbis, toties ut mori cogeret, quoties ad ima penetraret; toties novo Pyrrhæ sæculo redeunte, quoties post tam infandas terræ nostræ inundationes, ferream vidimus prodire messem. Tu Numen salutare, cælo demissum ab alto, rem labantem per tot discrimina rerum, protexisti, servâsti fortiter. Actum erat, & nobis jam securitas omnis exciderat, nisi quæ rebus Poloniæ benignior intendit Superûm clemẽtia, Te nobis tempestivè submisisset in tutelam. Sensimus Dexteram Domini (lubet Tuum, REX, usurpare symbolum) sensimus gloriosè TECUM, suaviter nobiscum magnificatam, cùm ubiq; faceret virtutem, ut victrices substerneret laurus Triumphatori, germinaturas, in cordibus aureæ libertutis Polonæ, in coronas. Servatorem Te suum coronavit Polonia, ut disceret Orbis gratitudinẽ,

timeret immanis Regnorum helluo Turca Regem Sceptra moderantem, qui ſuſtinere non potuit belli Ducem arma vibrantem. Poſt geſtam rem fortiter cum Svecis turbatoribus, Coſacis rebellibus, Moſchis fædifragis, Tartaris prædatoribus, Turcis invaſoribus; pulcherrimo Victoriæ genere, fide & juſtitiâ, fortitudine & prudentiâ, conſilio & armis, omnes vincendo: cùm Polonæ ſecuritati nihil gravius incumberet, niſi quòd proximus arderet Ucalegon; bella Domini contra Ottomanicam potentiam, Nomini Chriſtiano infenſiſſimâ, incendium grave cruore barbarorum ſopiturus, extra Patriam ſuſcepiſti, non extra Virtutis amplitudinem. Auguſta mens, & ardens honoris DEI ſtudium, acceptum & gratum quòd fuerit Superis, probavêre; cùm latiſſimum ad Viennam campū, ſtrage Turcica veſtirent, ut Virtutem celebrarent; ſeu ut vitam, quam DEO & Religioni devoviſti; ſangvine hircorum expiarent. Debet Tibi Vienna ſalutem, Germania amorem, Bohemia ſecuritatē, Hungaria libertatem, Chriſtianitas conſervationem, omnes gratitudinem: hâc enim gloriosè Victricia circumtuliſti arma, vel effectu, vel affectu; ubiq; fortunato ſucceſſu; hos ſalvando, illos tutando, alios melioris fortunæ ſpe recreando, erigendo. Diſcite mortal[illegible] Regibus longas eſſe manus, non tantùm quæ pu[illegible]nt, ſed etiam quæ benefaciant. At ô bellatorem ſtupendum! qui dum in unico loco bella gerit, ubiq; vincit! ô Victorem ſeculis memorandum! qui dum venit, vincit; dum vincit omnibus prodeſſe cupit & prodeſt. Dediſtis plauſum regna Victori, & meritò; coram quo ipſe Muſtapha Vezyrius exſiluit, ut integram Vi-

ennæ

ennæ lætitiam faceret; ſeu ut damnoſo terram levaret onere; ſeu ut grandiori paſſu Orco vicinior fieret: hoc ipſo, cùm neq; optavit, nec cogitavit, alterâ manu herbam Victori porrexit, alterâ laurum victricem Triumphatoris Noſtri altiùs protulit. Sola hic atra malignorum ſepia ſcriptorum, livida proluvie ſævit: at quantumvis ringatur atramenti effuſione, candidiorem gloriam diro humore non inficiet. Lilium noſtrum inter has ſpinas puchriùs effloreſcit: inter has cepas Roſæ noſtræ ſvaveolentior affunditur odor: inter has nebulas Phœbus noſter auguſtiùs diſpenſat lumen: Orbe cenſore, judice veritate. Curſum gloriæ, impar Virtuti Triumphatoris Noſtri, hæc remora minimè impediet; cui nulla vis viam ad heroica facinora intercluſit. Hoc Tibi innocenti munito conſcientia, hoc Tuis factis maximam approbat laudem; quòd cùm benè feceris omnibus, etiam cùm impediaris, ampliùs prodeſſe velis; inſigni documento, excelſum animum impellere, quidquid ſibi ſumma petenti obſtaret. Pleroſq; mortales, Principes non audeo dicere, in rectè factorum vellicatione, ſubita capit ſui oblivio, atq; ita conſtringit, ut in ſolo tuendi honoris obtentu, pertinaciùs hærentes, nec alienis conſiliis regi, nec ſua poſſint expedire; niſi acriores animi contumeliæ inſveti impetus, quâ datâ portâ ebullierint; eaq; res ut decuit, expiata fuerit. Altior humana indole Mens Tua, pectuſque mitiſſimum pariter ac munitiſſimum omni armatura fortium, ſicut pericula quæuis infra ſe poſita eſſe palam docuit; ita tam profanis impervium furoribus, maiores pro bono communi curas in dies concipit; ſtudium iam in-

de impensius rei Christianæ intentum, fides integra, consilia salutaria; constantem evincunt animum. Ad victorias illas, quas Orbis gratus celebrat, extollit, admiratur, & quamdiu rectè factorum perennabit memoria, omnis admirabitur posteritas; imò quas à Superis in pretium consũmatæ virtutis exspectamus à Te; hoc eximium accedit decus; victoria Tui. Si Iulium Cæsarem Civium sangvine cruentatum, ob restitutum Patriæ Ciuem, Tullius DEO simillimum iudicat? quid, si Te præsentem intueretur præsens, si mentem, sensusqué, & in tanta potentia summam beneuolentiam cerneret; quid inquam diceret? quibus non laudibus exultaret? Me quidem in Tuarum laudũ amplitudine attonitum, omnis artis indoles & industria deficit: maximus virtutum splendor, in sũma Maiestate, obruit vim ingenii exiguam: sed Tuorum decorum ingenium est, nisi à Te mensuram non habere: in quem virtus & natura, vel congessit quidquid pretiosum habuit, vel exhausit: qui belli pacisq; vnus perfectè artes complexus, & Ciuem regere, & hostem vincere ex æquo calles & potes; exemplum omnis æui & stupor. Impar ego pumilio Tuis laudibus, non ingratus tamen esse cupiens; Animùm Tuum, qui Filius est Cælio, libenter per amplissimarum virtutum spatia inuestigabo. Regum delicium felicitas populorum, tutela omnium, Victor & Triumphator æternùm celebrandus, INVICTISSIMUS PARENS TUUS, SERENISSIME PRINCEPS IACOBE, augustæ Magnificentiæ Tuæ celsitudinem tenet: quam qui ampliùs metiri cupit, Cælum consulat: nec enim alio continetur termino:

serus

ſerus tamen vtinam ex voto cunctorum, quod pridem eſt meritus, adeat ille; diu lætus magnis interſit triũphis; hîc amet dici Pater, atq; PRINCEPS: hîc diu poſteritatis aſpectu & tranſmiſſis ad hæredes ſplendoribus gaudeat: ſpes omnium & vota prouocans, vel implens.

Habes, PRINCEPS SERENISSIME, exuberãtẽ opulentiâ gloriæ Magnificentiam ad incrementũ feliciſſimæ lætitiæ, non indigâ molis, ſed fæcundâ laudum auctam copiâ, & in SERENISSIMA MARIA CASIMIRA, dulciſſima Parente Tua, Auguſta Noſtra. Novus ex iſto cælo fulgor ita mentẽ euerberat, ut, in excellentia lucis tota torpens & hebeſcens, non audeat ambitioſè in verba prorumpere; quæ non inuenit pro tanta rei dignitate exſoluenda. Tot lucis radij, quot virtutum; tot virtutum, quot gentis Liliatæ decora Te circumambiunt, SERENISSIME PRINCEPS, ad gloriam & Magnificentiam. At quis Archimedes hunc Olympum dimenſus eſt? cui Ptolomæo hæc ſydera numerare in promptu eſt? vitream nonnullus cenſuit eſſe fidem, quamquam bis oculatam, ad natiuum, artis commodantem oculum, quæ tam vaſtam Cæleſtium luminarium Iliadem ad anguſtos breuioris numeri contraxit ſcirpos. Religionem omnem meus excuſſiſſe videretur conatus, & Numinum abieciſſe reuerentiam; ſi in tam ingens ſpatium effuſus, mox longam gloriæ ſeriem, cui Orbis termini menſuram non ponunt, in ſtrictas conferrem periodos. Loquitur Orbis, Liliati Nominis amplitudinem; & vota ſeculorum concipit, ut extincto fatali rebus Chriſtianis incendio, in mutuæ pacis & concordiæ cum cæteris Principi-

bus Orthodoxis adunata ſtudium ; communicatis conſilijs & armis, glorioſiùs triumphet. Publicas agit ſpes omnium ſenſus, magnum hunc exſpectans diem; nos veneramur in Te, ô Auguſta Noſtra, innocentes animi gratias, natiuum Liliorum candorem, conſanguineamq; magnis ſplendoribus Maieſtatem, pulcherrimo virtutum eminentiſſimarum nexu illecti, lilia in verba vocantes, Tu ipſa Lilium flores; niſi Iuno Noſtra, Magna Liliorum Parens, eſſe merueris. Importunè Mantuanus Vates anxia cogitatione ſolicitam vexat mentem; *quibus in terris inſcripti Nomina Regum naſcantur flores?* Polonia dictis addit verba & rem, Te inſpirante, Te dante ingenium, SERENISSIMA REGINA: magnam ſui gloriam, ſpem publicæ felicitatis certiſſimam, Auguſtam Prolem Tuam, indice monſtrando digito. Flores Regii, flores fragrantiſſima Heroicarum virtutum ſuauitate amabiliſſimi, hæc prouocant vel acuunt ſtudia & voces; quæ intereſſe ſalutis publicæ, conſcientia generis humani intelligit. Auguramur & ſperamus, Lechæa gens, leuamen & medelam rebus afflictis, ex tantorum Florum commercio; præſentit ac timet exitium aduerſa Poloniæ vis; vnitam Fratrum virtutem exhorreſcens. Funiculum triplicem difficilè rumpi tam verum eſt, quàm ſine exēplo, ſacrâ approbante paginâ: in mutua animorum Veſtrorum conſenſione, SERENISSIMI PRINCIPES, firmam gloriæ ſuæ ſtationem, infractum robur, plenam ſecuritatem, felicitatem perfectam, reponit; imò depoſita omni ambiguitate triūphat. Quippe prouida commodorum parens concordia, quidquid malignitas obiecerit, magna vice no-

vit

vit diſſolvere : & diſſolvet. Hac indole Principes ex Te geniti, Olympias Noſtra, SERENISSIMA MARIA CASIMIRA, Patriæ virtutis & gloriæ hæredes ; tam dignam hæreditatem in ſe deſcendentem, noua excitatione famæ, cum immortali Nominis Veſtri memoria aſcendere ad Vos facient. Quàm grande Magnificentiæ ſymbolum! cui veluti machinæ cedit omnis ſubiectorum veneratio; dare ſemper manibus Lilia plenis, deſiderio, & cura potiore aduigilans. Matrem te Liliatam etiam hinc Orbis Polonus colit, & gaudet habere, qvia Reginam, cuius beneficiis amor debet impendi, quô Parentibus obligamur. Suauiſſimâ virtutum fragrantiâ, tam altum attingis, quàm cælum eſt, non aliunde dignius habitura elogium, ſtudia noſtra terminaturum, ſummæ pietatis in Superos, inferoſq; ſubiectos, amplitudinem, non minore ſumptu, quàm devotiſſimi animi candore productam, penſaturum. Nihil non altum, nihil non ſublime, nihil non Cælo par vel egiſti, vel agis, Reginalem Purpuram, niueo auguſtæ mentis cultu, facilitatem & comitatem, gratiam & affectus, bonitatem & clementiam, beneficentiam & boni publici ſtudium referente, pulcherrimè diſtinguens : ut ſatis conſtet Reginam Noſtrã id vnum amare, quòd cùm proſit omnibus, ametur ab omnibus. In tanta virtutum gratia, copiosè per omnes diffuſa, ſummus auguſtæ Maieſtatis ſplendor, capaciori dignus Orbe & oculo, intra nictantem palpebram concludi non patitur. Tranſibit, tranſibit ad poſteros diues gloriæ memoria Tui, ſecura perpetui Nominis, iam feliciter æternitatem immortalibus ingentium operum

 actio-

actionibus euictam occupans. Victuram isto lumine venturam ætatem, Reginalis munificentiæ animatam luce, & inter efflorescentia perpetuæ gratiæ lilia triumphaturam, iam nunc præsumimus. Imò verò viuis liberalissima semper Regina, quæ etiam Mater viuis fecunda; Sarmatiam lætitiâ, Orbem spe, hostes metu implendo.

Florete Vos augusti cordis lilia, speciosissimum Regiæ Coronæ decus, pretiosissima Polonæ gloriæ fiducia, Diuinæ Crucis amor & tutela certissima, veræ ac solidæ felicitatis nostræ argumentum & augmentum, Sacer Augusti Sanguinis Ternio, SERENISSIMI PRINCIPES. Gratulamur fortunæ Regni beata gaudia, DEUM & Superos venerati; vt quàm illis curæ simus, tam à longè tutandæ conseruandæq; Patriæ in Vobis prouidentibus, constet euidentissimè: si Vos diu incolumes seruauerint. O quis Superûm nostris oculis, aut veriùs vitæ concesserit! vt quos DEI beneficio, magno præcellentes colimus & veneramur spiritu, gloriosiùs erumpentes in Orbis lucem, spectare liceat. Felices, qui omnium splendoribus pascentur; at neq; nos infelices, qui anhelum ad sublimia in Vobis contemplati studium, publicæ spei auspicia, magna parte attingimus: ex regula Philosophi, Primum Te in tam augusto genere, SERENISSIME JACOBE, mensuram cæterorum iudicantes. Nisi illud etiam certissimam approbet veritatem: nec à Rege Sapientissimo pariter ac fortissimo; nec à pientissima Regina, potuisse quemquam edi non optimum. Non tam fructus naturam sequitur arborum; quàm liberi Parentũ virtutes imitari solent, & non vultum tantùm, sed

animum

animum quoq; ferre congenitum, communione Naturæ, nedum ſanguinem in venas, ſed tum ingenij, tum probitatis dotes in mentem transfuſas explicando liberaliter.

Et Magnificentiæ quidem Tuæ, SERENISSIME PRINCEPS JACOBE, decora, quàm apud omnes gloriam & admirationem habeant, pro rei dignitate ſatis explicari nequeunt: ſicut difficile eſt totum Te in paginam referre, qui maior vbiq; es, Tua Te magnitudine attollens, & celſa indole vibrans. Certè ſi nullum aliunde virtutum Tuarum nobis exſtaret argumentum: ſatis oſtendiſti, qualis eſſes, cùm apparuit in illa innocentiſſima ætate qualis eſſe velles: pius, doctus, ſapiens, bonus, amans Patriæ, veræ Fidei cultor: nihil infra Maieſtatem, omnia pro dignitate Tua agens & cogitans. Nec verò aliud velle, aut cogitare poteras, qui vota Regalia SERENISSIMORUM PARENTUM abundè intelligens, vbiq; ſimilis eorũ eſſe cupiebas: vt ex Te ſciremus; nullum eſſe præſtabilius aut pulchrius, nullum maius aut optabilius munus Regum in ſuos Ciues, quàm Sanctus, & ſui ſimillimus, Regio Sanguine cretus Princeps Filius: pulcherrima omnium decorum ſpecie non priuatorum tantùm lætitiam augens; ſed communis felicitatis ſponſor, publicam exſpectationem non vano lactans augurio, & attollens. Talem Te eſſe oportet: quem vota publica circumſtant: talem nos veneramur, inter concentum omnium laudum, omniſq; gloriæ, pulcherrimam Maieſtatis & virtutis concordiam, iam ab ætate illa teneriori in Te effulgentem admirati. Quem illa vultûs grauitas, & in grauitate comitas? quem oris decor,

& in decore dignitas? quem totius corporis venustas; & in venustate integritas, non moveret? Illiciis his omnium amores possides: hoc splendore Tuam auges Magnificentiam: non sine stupore inquirentium & tormento: Naturane, an par Tuæ indoli educatio plùs Tibi tribuerit? Natura quidem satis conscia periculi, quasi ad amoliendam à se publicam inuidiam, tam liberaliter omnes suas opes in Te effudit, vt se exhaustam fateri non erubescat; publicæ considerantium disceptationi ambiguum proponens problema: nobiliorne natus sis, an ingeniosior? Nodum tam difficilem Tu ipse rediuiuus Macedo virtute laboriosa soluisti, vt vota Orbis impleres. Meliori Cælorum auspicio viam disponente, vt benè institueretur, cui nasci feliciter contigisset: cùm supremum, qvia Regium, Augusti Parentis arbitrium eò inclinaverint, ut illum Tibi Phænicem providerit, qvi ætatis teneritudinem fovere, & capacissimam ad omnia mentem prudēti regimine futuræ fortunæ disponere sciret, iam tum sua se virtute, non externa ope probantem. Scilicet magnæ mentes cælo deductæ cùm sint, nec studio impares fieri volunt vel progressu: nihilqué humile agere natæ, efficiunt ut vis illa multiplex, atq; vigor in omnem partem gloriæ promptus & vividus; congenitus sibi, seu infusus ab alto, ad apicem vsq; humanæ dignitatis semper emineat. Ætati ne fieret iniuria, modico præditus corpore, tamen ad virtutis mensuram, iam tum Animus & vis Herculea, sustinendo omnis doctrinæ & scientiæ suppar cælo; illud excesserat: dum nihil puerile in moribus, nihil leue in percipiendis scientiarum arcanis; omnia Te digna, Tibi consona ageres omnia.

O Di-

O Divinam indolem! quæ animo vincês ætatem, illas duxit à teneris lineas, quibus pulcherrima omnis elegantiæ effigies incluſa; non Te inferiora ſecutum oſtenderet. Non tam Alcibiadem ſuo Socrati, non Alexandrum Ariſtoteli, vel Gratianum Auſonio, quàm Te, PRINCEPS SERENISSIME, Tuo Arſenio Alumnum gratulamur; promptitudine, docilitate, applicatione dignâ inter prodigia cenſeri. Hoc verò omnem admirationem excedit: vbi cæteri vix audent curſum ſtudiorum ordiri; Tu emenſum inter doctas curas, & eruditas cogitationes terminâſti. Nec facilis coniectatio eſt, maiorenè felicitate fuerit, qui tantum Principem doceret, quàm fuerit indole, qui diſceret Princeps: utraq; tamen arcano ſociata nexu conſtitit, etiam tum gloriæ Tuæ velificante ſumma virtute, & sũma felicitate. Perueniſti his ducibus, his comitibus ad fortunatas bonæ mentis inſulas, occupâſti doctarum opum Colchidem, auexiſti aureum pretioſæ eruditionis vellus; pretium regno Orbiq; futurus. Iuiſti per veterum monumenta virorum paſſu Heroico, ubiq; prælucente illuſtriſſima iudicii face; bonorum virtutes redamando, improborum vitia deteſtando: humanæ vitæ mutationes varias, & rerum in ea conuerſiones ſeriò expendebas; imperiorum præcipites caſus, fatales periodos diligenter conſiderabas; quæ in vita fugienda, quæuè expetenda ſint, intimè complexus; vt ſpem augeres publicam; hinc decerpta exempla, Tuorum fore operum efficacia documenta: à quibus vita pendet populorum & ſalus. Nihil Tibi iucundius, quàm verſari in cognitione rerum geſtarum, & memoriæ veteris; quàm Rerumpubli-

carum, Regum illustrium facta ac ordinem pernoscere; quàm his pascere mentem deliciis, in decus & subsidium regnorum. Quæ ab Assyriis, quæ ab Ægyptiis, quæ à Persis, quæ à Medis & Græcis, quæ à Romanis, quæ antiquo præsentiq; seculo cõfecta sunt bella, non tam benè descripta, quàm Tibi cognita sunt: virtutis & laudis stimulos capienti. Locos omnes simul intueri; infinita temporũ spatia peruagari; multorum hominum mores, vrbesq; lustrare; situs, positiones regionum, leges, iuraq; gentium; præ oculis habere; formas regiminis & modos comprehendere; studia imperitantium & arcana evolvere; imò quidquid veræ virtutis & gloriæ censum commendat, in complexu, auribus, oculis habere, tam tibi volupe ante fuit; quàm nunc est ex vsu, & decorum. Gaudent literæ & populi, inde Te succum & robur veræ gloriæ traxisse, unde Licinius Imperator pestem suxit ac furiale virus: atq; summâ circumfluentes lætitiâ, aliquid amplius concipiunt, in quod vota sua & studia extendant.

Mihi verò Magnificentiæ Tuæ cultori venerabundo, liceat in præteritum diligentiam mittere curiosam: quamquam Divinum qvid in Tuis factis elucet, ne quidquam dici præteritum possit; cùm nemo unquam alium Te viderit: eundem virtutum cum laude tenorem ubiq; seruantem, omnes admirantur & celebrant. Prima tamen Iuuentæ effata sacram reposcunt memoriam: ex dignitate satis laudari vix possunt, si recenseri omnia nequeunt: at illa sunt, quæ vel animam Tibi decerptam ex mente Divina insedisse, vel habitare DEUM sub pectore casto evincunt. Equidem vos Principes,

augu-

augustius mundi nomen & decus, arcano naturæ privilegio, imò altioris providentiæ destinatione, ab ortu illam trahitis magnificentiam; ut vel Cælum pulcherrimis distinctum splendoribus esse mereamini; vel quô nihil illustrius, Solem agere non desinatis. Principes Cælum si dicimus; excellentior his assistit motrix Intelligentia: si agnatam Principi luminum Soli referunt maiestatem, Diuinioris naturæ portionem habent. Cogitari si quidquam eminentius proferriq; posset, vltrò Tuam Panegyrim ambiret: nisi ex cælestis oris Tui sanctuario magnificentiùs prodeat; cùm limpidissimùs illustrator animus, per tot oracula sui simulacrum prodat; non æquè ab omnibus laudandus. Clarissimum est plura Te sponte intellexisse, quàm discendo acceperis; iam olim loco, tempori, personis, rebus, sine Magistro apta & erudita dantem responsa. Si, quæ justam vendicant voluminis capacitatem, hæc breuis pagella comprehendere posset; quàm libenter triumpharet in hoc nomine: nunc saltem illud, quod augusto sapuit genio, & palato INVICTISSIMI PARENTIS, inter cætera innumera; cùm, quâ religione in Superos, quâ pietate in Progenitores, quo cultu animi instructus esses, palam faceret, gratissimâ libet reponere memoriâ. Pöëta hactenus vsurpabat: iam Tuum celebrabitur illud Lemma:

Sæpè premente DEO, fert DEVS alter opem.

Hoc illud est, quod Tuam supra ætatem, non supra indolem, prudentiam; supra exspectationem audientium, non supra Tuum animum, numerosissimis excellentioris ingenii decoribus instructũ, in hac vna sententia, velut in vnica gemma totum

Parnaſſum artificiosè efformatum commonſtrauit; non ſine admiratione ſciſcitantium, quã Magnus futurus eras, qui iam animo longè exceſſiſſes ætatem. Jam ſi quiſq; ita loquitur, ut mens imbuta eſt interiùs; nec oratio diſpar moribus inueniri poteſt: quantum bonum in Te ſitum fuerit; cognoverunt, qui magna ex merito non neſciunt æſtimare. Magnitudinem Tuam non meliùs, quã in hoc ſpeculo cordis metiri licuit; ad calculum tamen revocare ne ipſe Archimedes ſuffeciſſet. Mens iſta cæleſtis ad ſimilitudinem ſui reflexa, cognati decoris cùm aliquid indulſiſſet, totam ſe ſimul explicare non potuit in ſpecie ſenſui debiliori; quæ Maieſtate ſua grauida, ſeculorum exſpectat menſuram; pulcherrimè tum etiam auguſtis præludens moliminibus; in laudabilis vitæ, ac perfectæ adoreæ auſpicium. Quò fata vocant, explicaturus excellentis naturæ magnificentiam; i fortunatus ad quærendos immortalis famæ titulos; Diuis benè iuuantibus, feliciore curſu prouehare in altum gloriæ, præclariſſimis actionibus grande nomen æquaturus: tempeſtiuè doctus; quibus artibus animos & regna poſſis occupare; probè callens quid in vita optimum; quod Regiæ mentis decus eximium; quod utriuſq; fortunæ ſtabilimẽtum firmiſſimum. Hoc denium eſt pro dignitate Principum ſapere, nihil præter honeſtum cogitare, nihil in bonis numerare, quod virtuti non ſit coniunctum. Hæc eſt illa antiquis commendata, non tam Platone Auctore illuſtris, quàm in conſtituendo Rerumpublicarum optimo ſtatu punctum ferens, Philoſophia: hic publicæ felicitatis gradus & ſumma: pia ſanctaq; ſuorum Principum iu-

uentus;

uentus; excultus ad omne decus animus, & è rudimentis naturæ ad absolutam virtutis perfectionem, honestæ eruditionis quasi manu ductus. Qui Tua hæc cogitata dictaq; exactiùs cognouerunt, Medullam Te sapientis animi, Cor Patriæ, Religionis Ancile, & quouis eminentissimo parem titulo celebrabunt: mihi verò rudi & inculto virtutum admiratori, dabitur veniâ, dixisse: dignum Te Poloniâ semper fuisse, & esse Principem. Præcelsus animus Tuus eam à disciplinis lucem accepisse creditur, quæ natiuum non infuscaret splendorem, sed augeret; ea Maiestate, ut dum exoriri censeretur, iam plenus in auge spectaretur; tantò venustiùs, quantò agnata virtutum lumina intimiùs adsciscceret. Nec indignum suo nomine opus: parum enim est serenum eruditionis explicare; nisi ad absolutam splendoris Magnificentiam probitatis fulgor illucescat. Hoc par eximium, fratres Helenæ, lucida sidera, tam prosperum gloriæ Tuæ cursum ante prænunciârunt, quàm nũc faciunt; amabilem omnibus exhibendo; illa probantem, illa sequentem, quæ expedirent, at maximè quæ licerent atq; decerent. Et hinc venit augustioris fortunæ honos, quô nominis æternitas comparatur: hæc est lux non desultorio ludens fulgetro, sed pleno & amico populis vultu arridens; ita, ut cùm amplitudine sua latè compleat loca & tempora; præsentibus sit amor, desiderium absentibus.

Magnificentia porrò Principum, potentiâ, opibus, & vasto stipantium comitatu instructa, multùm quidem splendoris continere, sed minùs fida, creditur; quam malus interpres rerum, neq; fir-

 mus

mus coronarum custos, excipit metus: certior est, integritate, prudentiâ, ac veris animi bonis excitata: digna ab omnibus coli, foueri, diligi. Discimus ex Te, SERENISSIME PRINCEPS, Tui æstimationem, ex magnifico, & placido fulgentem; qui probè didicisti, Principem æstimari, non ventoso fastu turgentem, non indulgentis fortunæ strepitu insolescentem; sed exquisito illo bonæ mentis ornatu, modestiâ, sapientiâ, animi magnitudine, probitate, humanitate, & longo virtutum, rectèq; factorum ordine inclarescentẽ. Propria sunt hæc Tua decora: quibus quid pulchrius ad aspectum? quid gravius ad Maiestatem? quid efficacius ad amorem? quid augustius ad Magnificentiam? quid illustrius ad splendorem? quid ad perpetui nominis conseruationem præsentius? Non errasti; cùm hoc iter ad gloriam delegeris: per hoc eundum, non per annos, ad immortalitatem sapiente consilio, dignâ Principe industriâ & constantiâ decreuisti, Orbem in testimonium aduocans: *Non esse mortale, quod optares.* Numerosa virtutum Tuarum corona, suffragium æternitatis secura habet, quæ iam miros animorum ciet motus, ut in sui amore teneat. Magnum Te tui veneramur, prædicant omnes: at si magnorum corporum indoles est, prolixiores vmbras iacere; ut quò ipsa non perueniunt, sui testem imaginem protẽdant: quid de Te censuero? Perculsa tantâ Maiestate contemplatio, humi serpere assuetam exilitatem vmbras legere iubet, ut ex harum dimensione, altitudinem Tuam quoquo modo intelligat; summa virtutum Tuarum capita recensendo. Seculorum negotium est, quantus es, totum Te propone-

ponere: mihi non indecorum fuerit, Iliadem hanc nuci velut includere: si pretium in Te & à Te, qui dicentibus de Te plùs claritudinis addere, quàm accipere possis, habuerit.

Non latet in recessu, sed augustâ in ora oculosque omnium incurrit Majestate, trahens in comitatu, quidquid heroicum est, quidquid magnificũ, virtutum apex & basis Pietas; principe studio, & intensiori animi ardore, tantò effusiùs adamata, quantò justiùs Majestatis titulum vsurpat, Principe non imparem. Tenerior adhuc (ignosce PRINCEPS PIENTISSIME, toties repetenti, vnde magnificentiæ opus laudabiliter inchoâsti) tenerior adhuc, vt absolutam Principis Christiani imaginẽ in Te efformares, ad veræ pietatis archetypum scrupulosiùs intendens, ea duxisti lineamenta, quæ dum oculos intuentium delectarent, simul cordis intima penetrarent; in delicijs omnium habita, à Te solùm, exspectabant perfectionem, vel à Superis. Tu quidem rem Tuam egisti seriò, & agis hucusq; non iam quater, ut quondam suo Ialyso Protogenes, vetustati & injuriæ temporum illusurus, repetitum inducens colorem; in dies, in horas, in momenta, perpetuum solidas opus immortali conatu, & studio: sed etiam Cælites operi adstipulantes, dum ultimam apponunt manum, iam magnificè tinctam Tuam proponunt purpuram, & ideam. Spectans omnia ab alto rerum arbitra mens, seu Divinitas, momenta meritorum ex asse perpendens, librans, examinans, ornans; tantò copiosiùs pulchritudinem imagini Tuæ affundit, lucemq; intendit; quantò diligentiùs seruatur, quantò digniùs colitur. At exaggerare vel percense-

re numerando illa, quæ conſtanter in DEUM, Diuoſq; retines pietatis ſtudia, vetat illa ipſa pietas & modeſtia. Quid? me tacente, illæ ipſæ primis vitæ ſurgentis ab annis ad Sanctimoniæ & ſapientiæ faſtigium progreſſiones, quàm ſonoro gloriam Tuam concinunt modulamine! De Te, quod de Philippo Hiſpaniarum Rege ſub ſymbolo Solis orientis, largè per Orbem natiuos vel in ortu diſpēſantis ſplendores, rectè dici iam olim potuit: *Mox illuſtrabit omnia.* Clariſſima enim dederas indicia futuræ claritudinis, ut verum eſſet, quod ſpondebat indoles: rigidus in omnibus exactor, ubiq; pura mente præſentem Tibi ſemper ſecutus DEUM, pleno auguſtæ Magnificentiæ radiaſti Orbe: non tam famæ publicum de Te loquentis præconium, quàm rectæ conſcientiæ teſtimonium approbando.

Profanū illud pietatis dedecus; fucata, totq; ceruſſarū generibus referta, an potiùs incruſtata, omnium horarum religio, imò DEUM ſpernens deuotio; quam pleriq; Mimici Sinones, latere diſſimulantes improbitatem, pro Palladio mentiti, ſcelerū atq; impiorum factorum nutricem, obtentui ſumunt; ut fucos vendant, oculis glaucoma objiciunt: aut veriùs ut hoc thyrſo mentes humanas percutientes, (ne fraudes, affini virtutis ſpecie ludentes excutiant) locum parent ambitioni vaſtiorē: hoc inquam, ludicrum nunquam illimi Tuæ illuſit gloriæ, in tanta veræ pietatis luce cum lacte ſanctè infuſa, omnes tenebras damnante.

Quamquam publica religione conſecrata virtus, nulla priuata indigeat laudatione; ſummam tamen eſſe, quæ pro hac ſuſcipitur, rationem, Iura

euincunt;

evincunt; nos in Te lætamur exemplum inuenisse, qui eam, vitæ Tuæ, spei & exspectationi Regni præposueras, cùm publica poscebat necessitas. Celebretur, ut lubet Romana quondam pietas, gentium aucta superstitione, an spoliis? ut omnia post religionem poneret, pridem illa euiluit in plures dispersa: nec legimus unquam arma sumpsisse, ut hæc conseruaretur: quantò Tu illustriùs Nomen Tuum extulisti; rei Christianæ, veri DEI cultui, nobiliori quàm Decii exemplo devotum: non satis arbitratus ardere domi pietatem; ut etiam extra luceret, extra fines Patriæ Cælitibus litare voluisti: animamq; innocentissimam pro religionis conseruatione, pro fidei defensione paratam tulisti, eô ipsô meritus vivere diutissimè. Viues, viues; quem fortis manus Domini sustentat, sortes Tuas dispensans & promouens. Non iam ex lacteo illo historiæ fonte haurimus dogma: Omnia prosperè euenire sequentibus DEUM: sed ex Te ipso exemplum. Tu, SERENISSIME PRINCEPS, insigne deuotæ mentis argumentum, ex devicto hoste victimam, victori à ligno CHRISTO DEO, primitias victoriarum primo omnium Auctori dedicans. Machina illa horaria pleno pietatis affectu Crucifixi imagini substrata quid aliud sonat, quàm animi Tui summam deuotionem; sed cùm Tu dirigeres: nunc jam arbitrij Divini facta, digito virtutis DEI commota, quid nisi felicia tempora, gemmeas horas, aurea momenta pollicetur & facit. Ad pretiosam hanc honoratæ admissionis clauim, instrumentum felicitatis, signũ salutis; vita, fortuna, gloria Tua deposita; integritatem, valorem, & magnificentiam quidni habe-

H at? Ita

at? Ita est prona in DEI cultum pietas in hoc ſymbolo, & metitur dignitatem Principis, & ſpondet ſecuritatem; felici & forti DEI manu fortunam diſponente.

Perennem felicitatis curſum certiùs ex hoc auſpicio, quàm ex oſcinis cantu, vel ſoliſtimo tripudio, licet interpretari; Te etiam ad hunc beatitudinis indicem Tuas moderantem actiones: cùm quidquid agendum ſuſcipias, ab eo, qui ſolus donare poteſt omnia, agendi capias exordia, ut opus feliciter perficias: quidquid agis, in hac devotionis exhibitione deprehenderis, ut optatum teneas curſum: ſi conſecutus es, quod poſtulaſti; culmen gloriæ reputas, uni DEO omnia accepta referre, ut eum Tibi devincias ampliùs. O animũ verè Heroicum! verè integritatis thronum, regiam innocentiæ, aditum ſanctitatis! ô mentem in omnibus laudandam, in Te ſtupendam!

At illud quibus laudibus efferam? qua dignitate ſermonis decorabo? quid hîc dicam, ubi dici & videri abnuis: dicam tamen, quod tacere non poſſum, neq; Tu tegere. Cùm plurima devotæ mentis exhibeas argumenta, totus tamen in eo es; ut ſolicitè intendas, ne quod DEO tribuis, oſtentationi tribuere videaris: utcunq; fugias, vera ſolidaqué ſequitur gloria, quæ jam Te Poſſeſſorem ſuum concelebrat. Quæcunq; ſolâ conſcientiâ teſte agere volebas, occultando toties diligenter, ne emanarent; eminent & emicant, velut Solis radij ex interjectis nubibus, vehementius excitando ſui deſiderium apud omnes, tantò conſpectiùs in ſe ſpectantur, quantò curatiùs cuſtodiuntur: per erumpentes occluſi luminis radios, latentem proferen-

do in

do in publicum amplitudinem. Lucet accensa lampas tantò clariùs, quantò magis tenebris circumuoluitur: neq; carbunculi speciem nox intẽpesta extingvit. Imò hæc indoles est eximiæ virtutis in terris, quæ in cælo siderum: per tenebras radium sui facere, quæ pleno Sole fugiebant aspectum. Quæ verò illa nox? quæ tenebræ? quas tot illustrant suo astra matutina decore, uberioris luminis indices optimi. Vultus, frons, oculi, arcanum hoc, quod Tibi soli seruare cupis, luci publicæ non possunt invidere: quantus sit splendor ille, qui tam culta sui imagine velatur, intento veluti digito demonstrant. Quod comprimis modestiâ, ne exeat; iam summam occupavit celsitudinem, ut appareat: tot fulgores, quot pietatis decora emittens, in luminis intùs compressi certitudinem. Charitas in Patriam, DEI Amoris scintilla est non postrema. Pia in AUGUSTOS PARENTES veneratio, & prompta parendi voluntas; amor in SERENISSIMOS FRATRES, prona in Mystas DEO dicatos inclinatio; sacrorum locorum observantia; digna Procerum æstimatio; in omnes propensio; radij sunt: sed cum ipsa DEI immortalis religione, prima luce coniũcti; ab hoc suauissimo luminis fonte delibati. Nõ possunt res tantæ sine adminiculo Numinis stare, loquitur magnus ille Romanæ sapientiæ Professor Seneca: majore sui parte illic sunt, unde descendunt. Multi quidem hoc idem facere videntur sed alia mente: nempè ut vel cum Tiberio Majestatis Numen inducant; vel cum Nerone illudãs; vel cùm Domitiano vanissimum capiant titulum. Tu Major his, sed sine vllius diminutione major,

ita Tuam explicas Magnificentiam, ut ſine contumelia Numinis, ſine ſuſpicione ambitionis, ſine metu Civium, pium in omnes geras animum: & quæ alijs exhibes, ab omnibus habeas; amorem, honorem & reverentiam. Ex quo manifeſtum eſt, humiles & abjectas illorum Imperatorum fuiſſe animas: Tuam ſublimem. Tollebantur illi vaniſſimâ præſumptionis aurâ in hoc tumidæ exiſtimationis altum: cùm ſuſpiciendos ſeſe putabant, ſuſpecti timebantur: ſubjecti aliquantulumceratâ aſſentationis pennâ, tam firmiter hæſerunt, quàm ad omnem aëris meatum ire facilis fatui ignis cõſtantia; lucis demum tantùm ſparſerunt, quantũ fuligo cadauerum, quæ conſueta lambit indole, ſubminiſtrat. Divinior Te cura & lux fouet, quã ritè colis, ut cum ea momenta Tua tranſigas: nõ irrito conatu, in eam provectus gloriæ ſublimitatem, quæ omnes pietatis numeros complexa, ſecura ſit famæ perpetuæ: nunc iam ſuſcipientibus literis, imò omnium amoribus neceſſitatem; tantæ dignationi publica profeſſione obſequendi. Tu verò inter hæc tantam præfers animi conſtantiam, ut ſumma famulantium obſequia, novarum facias virtutum incrementa, maiora laudum argumenta. Quot comiſſimæ benevolentiæ, integerrimæ fidei, humaniſſimæ affabilitatis, paratiſſimæ facilitatis, & omnis bonitatis; quot, inquam, veneranda dederis exempla? Sentiunt, qui tantæ ſuavitatis copiam quotidie hauriunt; nec prædicare deſinunt excellentiùs. Geſtienti animo excipimus, apud Te faciles aditus, aures patientiſſimas, placida reſponſa, vultum ipſum auguſti decoris hilaritate permixtum, vnumquemq; inueni-

re. Conſtantini fuit iſte ſpiritus, ſuus ut prædicat Encomiaſtes: ſed iam tranſiit in Te, PRINCEPS. Hoc temperamento fortunam ſcis moderari, ut quantò ſis loco cæteris præſtantior, tātò Te benigniorem eſſe debere iudices; cùm cuncta benevolentiæ munia ſic exerceas, ſic perficias, tanquam hæc ſola profeſſus, non aliunde fecundiorem laudum Tuarum habere velis materiem, quàm à Civium amore. Quod verbis aſſeris, facta comprobant: nec os à corde, nec vultum ab animo diſſentire obſeruatum eſt. Hoc Tibi ex vſu, quod optimum eſt: humanitate devincire, non Majeſtate perſtringere; facilitate allicere, nō aſperitate deterrere adeūtes. Neſcis faciem corrugare, ut metum inijcias petentibus; ſi compellaris: non ad deſperationem compellis, quorum intelligis deſideria; at reficis voluptate adipiſcendi. Nullum vidimus Tua conſternatum auſteritate; nullum audiuimus ad vocem Tuam pectus ſuum ſuſpiriis laxâſſe: nulli lacrymas excuſſit obducta ſupercilio frons Tua: nullus faſtum, populare grandioris fortunæ vitium, damnavit in Te; cui probè cognitum altiùs inhæſit dignum Principe dogma, iam olim vſurpatum à Traiano: Malè vim ſuam aliorum contumeliis experiri poteſtatem. Aſſyriorum ritus; demerſam tenebris Majeſtatem, cubiculorum ordine tueri; longo exſpectationis tædio ſupplices ſubmouere; ſpes torquere, vota diſcruciare; apud Te nec auditus, nec admiſſus: de proximo ſerena contueri ora, placidam adorare Majeſtatem quotidie licet. Non magis communem hanc diem, dieiq; lucidiſſimā Pharon, mundi ocellum, in ſuprema cæli arce

locatum Solem liberè, quam Tuum vultum intuemur. Dignus es; ut emineas omnibus, qui Te ad singulos demittis; non tam reverentiam de longinquo, quàm amorem vbiq; insolidum possidendo.

Peruersa illa reputationis sophismata: probitatem odisse, mansuetudinem & humanitatem exuere, nullius amicitiam, omnium admirationě, metum, ac desperationem; paucorum verò studia velle; illos despicere, hos reiicere: tam Heroico rejecisti animo, quàm Tuæ indoli inimica sunt. Viles & affixæ terræ animæ, nimis fatiscentes (teste Plutarcho) infusam potentiam non continent; sed foras diffluunt, irâ, odiis, affectibus, arrogantiis, ineptiis: Tu totus in gratias compositus, in frõte modestiam, in oculis clementiam, in ore verecundiam, in toto corpore augustæ virtutis speciem, stupentibus cum voluptate proponis spectandam. Imples vota, spes absoluis, auges lætitiam, vincis animos, dum Te profundis in humanitatem & benignitatem; sed ampliùs admirandam explicas magnificentiam.

Quid hîc agam ore tenuis? crescit Oratio seipsâ major, quia in Tuo nomine virtutibusq; exultans: quò magis progredior, eò vastiori mole cõclusum me sentio, non tam exitum, quàm progressum expauescens: conari aliquid inconditum periculum est: procumbentem demissione stylum ad sacram benevolentissimæ gratiæ aram litare, tam gloriosum, quàm pium est plurimis edocto exemplis: in Te inueniri, & quod à Tuis ametur, & quod timeatur ab hostibus. Amamus & colimus piissimum Principem, quem fortem in bello

Herò-

Heròëm timent aduerſarii : claris ſcriptoribus admirabiliùs geſta Tua æternæ famæ tradēda procudentibus. Quàm verò dignis gloriæ ſplendoribus auguſtam locupletent magnificentiam; animi altiùs axaggerati magnitudo, ignea vis ad omnem Heroicæ virtutis occurſum intenta , Regiæ Polonis artes ; ne quidquam mora ætatis præpeditæ ; breviter expediam. Timete Bizantina monſtra PRINCIPEM noſtrum, ne Herculem ſentiatis : hauſit cum ſanguine Heroicum Magni Avi & Proavi ſpiritum ; gerit auguſtum Maximi PARENTIS animum : bella Domini pugnabit fortiter ; ex Domo fulminum prodiens ; aget rem viriliter, vrgebit feliciter, quò pulcherrimus exemplorum ſanctitate ad ſuorum ſimilitudinem provocatur genius : procumbite gratioſo, venientem adorantes, ut ſtare poſſitis ; ne vindicem protérviæ iram in Victore ſuſpicientes, turpiter profugi, turpiùs cadatis. At ſurdis fabula canitur. Immani tumentes faſtu, portentoſum oſtentantes virium robur, furenti feroces audacia ; leges ferro ſcribere docti , & nunc præſtò habere arbitrati ; hereditarii Chriſtiani nominis hoſtes, juris humani prædones capitaliſſimi , humanam exuerunt indolem, inter belluas numerandi, nulla arte circurari patiūtur : omnia ſuæ libidini, omnia furori pervia rati; audēt, quod libet, & faciūt : quod audēt & faciūt, debere ſibi putāt, apud quos ſtat pro ratione voluntas; indignū cēſentes vel ferre parē, vel agnoſcere ſuperiorem : ſic de principatu Orbis laborant, tanquam plures tanta terrarum ſpatia ad fortunam imperii non admittant. Ergo Muſtapha Vezyrio, rupta fœderum fide, palantes per

Hungariã, Bohẽmiã, Germaniam exercitus, quodam quasi diluvio & inflammatione corripiebant: omnia elati primo progressu; jam Austriam, vicinas gentes, nationes, totum deniq; quâ latè patet Romanum imperium ad possessionem; jam Viennam, atq; præclaras quasqué vrbes ad incendia & prædam, Ciues ad cædem, Provincias ad deuâstationem, Principes ad internecionem notabant: omnia impotenti licentiæ subjecta, sanctissima penetralia impiis manibus admota, aras sacrilego conatui; relictas credebant: iam sacrum Imperii diadema, turbinato Machometicæ superbiæ vertici, blasphemis execrationibus implicare destinabant: cùm spe sua delusi sunt; de culmine arroganti dejecti, nouum Orbi daturi paradigma, si necdum didicit: Quid sit ante Victoriam canere triumphũ? Sæuas quas agis in Viennam Erynnes, breui sentie ipse Vezyri: qui tot imperia concutere, euertere, ac velut uno spiritu difflare cupiebas, mox dirum hoc virus in tua conuertetur viscera, ubi Sol supra Clypeos resplenduerit. Fuge dum vivis: sed si fugias, quî vivere poteris? virus diffusum per artus cum felicitate tua cõcoquere, Luna nõ poterit: Solem exspecta, vitam habebis: orientem in latifundijs & montibus Viennensibus adora. Geminatus est, prodigium virtutis & gloriæ specta; vel si vitæ cupido incessit, prono poplite, radios benevolentiæ dispensaturum liberaliter, excipe hilariter.

Qui se hominẽ nõ agnoscit, nisi omnium summum; cuius ambitionem terra non capit, nisi oppressa; mille Christianorum cladibus, dirisq; exẽplis elatus; libidine regnandi excandescens, orbis

spoliis

ſpoliis & rapinis cruentus; proiectâ ſeruiendi deuotarum leto animarum ſeptus patientiâ Muſulmanus; naturæ ſuæ duntaxat ſe ſe librans inclinatione, ſe ſolum adorat; nihil non arrogans; nihil non tumidum, nihil non ferox cogitat. Aureos ſibi ſomniat montes, Viennam dum oppugnat vehementiſſimè: non ipſi Neptuno compedes, vt olim Xerxes, aſt cælo ipſi tenebras minitatur; denſa militum, ac pænè dixerim legionum examina oſtentans; ad pedis pulſum, velut ab inferis erũpentia: in alto circumvolitat, & ſublimi ſe vertice ferire ſidera putat; cui vaſtata Pannonia procubuit, finitimaq; regna viam dederunt: ad cuius aduentum tanto terrarum tractu Auſtria trepidauit: cuius Latomias tot captiuorum millia repleuerunt, catenis onerata, illuvie obſita, fame, ſiti, cædibus enecta: atq; ad explendos crudeles oculos, partim vertendæ telluri vallis conſtruendis aptæ addicta, ſeruili flagro ad necem cæſa; partim more iumentorum ad oppugnationem acta; equorum̃ & militũ pedibus proculcanda. Quæ quidẽ reputantibus non horror modò totum corpus cõcutit; ſed gravis etiam dolor animum percellit: ille tamen exſcindendæ Viennæ, quam animo devoraverat, intentus, omnia pro furore inſano & libidine agit.

Tam atrox hoſtis, tam grave bellum, principium Tibi fuit bellorum, PRINCEPS FORTISSIME: hic finis adoleſcentiæ; hæc prima militiæ rudimenta. Quàm immenſi res operis & laboris! niſi in Divinam INVICTISSIMI PARENTIS prudentiam; Tuam indolem ſummarum actionũ & imperiorum capaciſſimam incidiſſet. Ne verò

timeremus, alternantem rerum humanarum vices, fortunam; quæ tanto periculo, tantoq; pretio præmium victoriæ mercaretur: Heroica virtus Vestra, humanas cogitationes prætergressa; omni fortunæ potentiâ maior, effecit: eô ipsô securior, quia meliori, imò optimæ coniuncta causæ, nempè solius DEI & Fidei. Sancta & fortunata bella, quæ non ad alicuius ambitionem aut libidinem regnandi explendam; non ad impotentiæ ac furoris vim exserandam; sed ad veram Catholicæ pietatis religionem defendendam, attollendam; finitimos iuuandos ac liberandos omni periculo, suscipiuntur. Qui hoc Palladium fortiter, ac fideliter tueatur, quotus est in orbe Hector? qui huic discrimini promptè se se obiiciant, vitamq; impédant, quot numeramus Curtios? Tu PRINCEPS MAGNANIME sancto incalescens ardore, generosi pectoris flammas concepisti; non alibi, quàm in barbarico Machometanorum cruore exstinguendas; an potiùs acuendas atq; fovendas? Etiam Achilles, quamquam Thetidos deæ Matris arte & beneficio securus, ætate validus & robore, Troiani excidii fatum, infra animi virilis demissionem, formam simulat & cultum, ubi petendum Ilium. Quantò Tu generosior, audentiorq;, qui annos non exspectans ad primum belli Turcici classicum, primâ militaris gloriæ ingentem animum implevisti æmulatione! Conferrem Te, nisi major iam fuisses Themistocle: quem non Miltiadis trophæa; sed Augusti Parentis omnibus memoranda seculis, eademq; rari exempli meditamina; quem vicinorum negotia, vrgentiùs, quàm ætas pateretur, ad immortalis gloriæ excubias ex-

citabant

citabant. Non Te iuvabat, immeritis cum Pellæo Iuvene indulgere querelis ad triumphos Magni Tui Philippi: ſed glorioſis inardeſcens ignibus, palmas Tibi, quas victor legeres, ſeri gaudebas. Neq; differri ſtudia paſſus es, quæ creſcentem ætatem ad omnem ſolidi honoris amplitudinem fortiùs vrgebant: nouus Scipio, Imperatorio lateri Maximi PARENTIS adhærere voluiſti; imò ſolicitis impetrâſti precibus, ut comes laborum, ſpectator virtutis, teſtis gloriæ, imitator immortalium operum fieres: an non infeſtæ Carthagini Scipio futurus? Felix eo Imperatore, SERENISSIME PRINCEPS; ut qui non modò coniunctione ſangvinis; ſed etiam communicatione virtutis, in eam ſpem vocabaris, quæ Te parem felicitatis Paternæ Hæredem efficeret, bellicis tempeſtiuè negotijs aſſuetũ, exercitamentis Martiis inſtructũ. Triumphalem Juvenem ad laureatas pro Patria & Religione victorias initiari decuit auguſtâ victoriâ à Triumphatore Parente, in generoſæ mẽtis exercitium, fortitudinis innatæ experimentum, in bellandi, Heroicarumq; actionum exemplum, orbe ſpectatore. Sic naſcentes Aquilæ Patris vngue ſuſpenduntur ad Solem, & omnium avium generi imperaturæ lucem ferre docentur & diſcunt: nec prius Aquilæ ſunt, quàm eas Sol probaverit. Sic provida rerum Parens Natura, immaturam adhuc, quamquam non imparem ſuæ indoli concham, ſoli patentem cælo aperit, ut à Sole gemmeſcat. Degeneres animos timor arguit: Nobili virtuti hæc debetur commendatio; glorioſiùs ad ſumma niti cum periculo, non tutò ſequi

 humi-

humilia; durioribus enitescere, decliuem asperna-ri facilitatem.

O præstans animi PRINCEPS, *quantùm ipse feraci*
Virtute exsuperas!

tam ingenti animi fervore in ardua Martis nego-tia, imò in ipsam antiquis Bellatoribus formidan-dam proruens mortem! Divinus generosi spiri-tûs vigor, qui alibi annorum partus est, Te, in im-matura ætate maturum gloriæ demonstravit; illud studium Christianæ rei iuvandæ excitans, quod tempora deposcebant, virtutis Tuæ explicandæ. Rem certè non cunctando ut Fabius; verùm pro-perando maturè in ordinem restituturus, currere voluisti; imò præcurrebas vota, an prævolabas? (Principum enim cum DEO euntium, non cursus sunt, sed volatus) ut nutantem constabilires, ful-cires labantem, lapsam erigeres; firmares stantē, ne metueret casum, quem turgida Vezyrii ambi-tio, ab Austro omne sibi bonum falsò augurantis, in Viennæ minabatur excidio. Pietas & zelus ad-debant alas, instructissimo Palladis ægide Tibi Per-seo pientissimo, ad profligandas impiæ maligni-tatis Gorgonas; nil nisi cædem & sanguinem ubi-qué profundentes, vel auarè haurientes: eliberan-damq; tot periculis expositam, tam vasto virulen-ti Draconis gutturi obiectam, Andromedam illam Imperij & Orbis. Per saxa & montes, per tela & ignes, major ignis DEO æstuans erumpebas, ut Domino Exercituum fidelem impenderes operā, vitam consecrares. Per angusta certissimum in-tendens iter ad augusta: non Te magnitudo peri-culorum à proposito avocabat itinere; non via-rum difficultas, non locorum asperitas, non aëris inclе-

inclementia, non bellorum iniuriæ mentem quatiebant solidam: non multitudo hostium, nō vultus instantis tyranni, nō fulminantium fragor tormentorum perturbabat. Etiam si fractus illapsurus foret Orbis: tenacem propositi animum, iustitia & pietate munitum, impauidum hæ minæ feriebant. Scilicet Heroa mens, quæ ad magna destinatur, cùm per humilia formari non didicit, si quâ parte grauiùs impetitur, inter pericula periculorum nomen ignorare creditur. Hoc vnicū Tuam imperterritam vellicabat mentem, ne hostis priùs fugeret, quàm pavidus Victoribus occurreret. Hoc intensè cogitabas, hoc toties timere Te scribebas. Fugienti hosti pontem aureum sternendum esse, non nemo; viam muniendam, Scipio censuit Africanus: minor Tuo animo, fortitudine inferior, tam angustus spiritus: non fugientem, sed pugnantem exoptabat æmulum, ut virtutis tyrocinium perfectam occuparet laudis adoream. Et occurrit ille duræ ceruicis pugnator: at in fortes non esse tutam audaciam, nouo probavit exemplo; sensitq́; INVICTISSIMI PATRIS, FORTISSIMUM FILIUM; Sarmatico Atlanti, qui cælum Christianitatis contra Odrysios Gigantes gloriosè sustineret à Superis dato, nouum Te Herculem admotum, cui tot gentiū fortuna populorumq́; feliciter incumberet. Ille, qui natiuam spirans arrogantiam, nihil se timere fingebat; ipse sui impos victrices exhorruit Aquilas: qui dum bella sereret, regna & Provincias metebat, profugus aconitū decerpsit; palmā & laurū vobis Victoribus reliquit: quidué sperandū esset ampliùs, fato suo, an pœna temeritati debita prænunti-

nuntiavit. Pannonia everſa, Boëmia vaſtata, Auſtria concuſſa, Orbis Chriſtianus titubans; Patriâ pulſi Cives, exules, extorres; Vienna priùs obſidione ſoluta, quàm intelligens; quam victoriæ viam parabant, ſeu optabant, DEO auſpice, INVICTISSIMO PARENTE duce, PRINCEPS, Te ſocio belli; priùs inuenerunt, quàm ſperauerunt vel ſenſerunt. Divinum planè opus, uno prælio, multorum annorum exercitum tollere, exigua manu cum infinita hoſtium immaniſſimorum vi confligendo, tot gentes, tot terras vindicare à ſervitute: vix veniſſe, jam viciſſe: fuſo, profligato hoſte, in præmium victoriæ, vix æſtimationem virtutis obtinere, Divinum eſt. Tuæ gloriæ his præludebat tyrociniis Bellona, ut doceret, fortia agere & pati: quod jam non Romanum, ſed Polonum eſſe, ad eximiæ laudis ſuffragium proficit.

Erigit iterum ſigna, concitat populos, diſperſos colligit milites, nouos conſcribit, numerat legiones, reducit phalanges, acuit acinaces, expedit arma, conſtruit acies & promovet: irarum omnes effundens habenas, iactans ore fremente minas, vultu ferox, voce fervidus, duris ſæuitiæ ſtimulis exæſtuans, cui nec mens, neq; color certa ſede manent; inſano concitus furore, ruit Ottomanus, acriùs multò atq; vehementiùs, rabie pereundi pugnaturus: donec tam ferale incendium vaſti Danubii vortices reſtinxerint: grande futurus exemplum veſanæ temeritatis. hæc quàm fida ſit, experimentum fecit, collectam fugitiuorum auſus manum opponere Victoribus: nouam ad vincendum vel ulciſcendum accepta damna reſerans viam, provocatione virtutis, intimiùs hoc ſtimulo

ad for-

ad fortia gesta irritatæ. Quantumcunq; hostium audacia luxuriavit; vultus Tuus inter hæc, probi sanique coloris; Martio plenus spiritu, initiati bellis animi, fortissimo Poloniæ genio, manifesta proferens indicia, omnium in se ora conuertit, animosq; in specie erexit; ut tantò audentiùs contra irent, & multa simul aggrederentur pectore nullis unquam laboribus fatigato: quasi non viderēt pericula, nec possent sentire, quibus Majestatis Clypeus invictam faceret securitatem. Hoc erat victoriæ alterius adjumentum; quæ cùm ad ripas Danubii victrices erigeret palmas & trophæa; fluminis ejusdem evocavit in applausum undas, ut altiùs exsilirent, quò profundiùs hostilem sepelirent proterviam, nisi magis Thracico Scythicoq; sangvine cruentatæ ruborem testari maluerint, quòd illos Gigantes, contra Iovem Polonum transmisissent. Dixerim in publicæ confessionem pænitentiæ scidisse Danubium vestimenta, dum ferre ampliùs impositum pontem nollet, ne impia transportaret pondera: seu rupisse viscera, ut fatalibus absorberet vorticibus Monstra hæc, sub quibus terra gemebat; ne tot casibus telluri allisa, vires resumerent in perniciem Orbis Christiani. Dispeiit armata impietas; quæ plenis impudentiæ velis ad summum audaciæ gradum ferebatur, ima petere debuit; Majestatem Victoris, qui præerat summæ rerum, non sustinens. Cujus clementiam propugnaculum Strigoniense venerari maluit, quā toties provocare fortitudinem: & ne turpiter cecidisset cum sonitu, concidit honorificè cum adoratione; nunquam securius, quam cùm vitam suam submitteret Liberatori; ut excussa servitute

Turcica cum nefanda superstitione, ad veræ pietatis libertatem, in adoptionem filiorum DEI admitteretur; Signo salutis Nostræ munitum.

Abripit me rerum à Te gestarum dulcedo PRINCEPS, ut quàm fortiter & feliciter, particeps belli, & laboris, multa egeris; quanto animi studio ad immortalitatem contenderis; qua factorũ magnitudine spem publicam auxeris; quo splendore virtutis aduersos furentium hostium impetus percellueris; gestiat mens enarrare: sed absolvunt curam, illi ipsi, qui testes fuerunt luculentissimi, fortitudinis & magnanimitatis: ut, qui tum fuerũt præsentes spectatores & admiratores, nunc gloriæ ducant, maximarum esse virtutum laudatores. Ære triplici fortem, sæuorum bella Gigantum expedientem, magnæ dexteritatis agentem opus; dignum cælo spectaculum, & terris; per ardua euntem, tenentemq; animosè cursum virtutis; tendẽtem ad metam honoris, nec aberrantem Heroicæ animæ indolem; ingenuâ celebrant veneratione sacrata Bellonæ pectora. Magno in discrimine, securitate animi & alacritate supra mortalium evectum naturam; insignem equo, manuq; terrori hostibus, ardori suis, miraculo omnibus; per cæsorum sangvinem, per cadaverum campos; & pugnandi viam, & vincendi artem, digno Imperatorià dignitate genio colligentem: quantâ lætitiâ repetunt, eventûs felicitatem expendentes! Natum Te, PRINCEPS, ad exercitus peritè regendos, ad res fortiter gerendas, ad debellandam contumaciam, ad continendos in officio armis subactos; quibus tum persuasum erat, nunc dulce est semel conceptum sensum tenaciùs defendere continuo confir-

matis

matis experimento: nullam esse tantam rem, tamqué difficilem, quam non & consilio regere, & auctoritate tueri, & virtute conficere possis. Pulso fugatoq; iterùm superbæ mentis exercitu, positis ad Parkanum & Strigonium victricibus signis, receptis in fidem, qui fortunam belli seu victorum clementiam sequerentur; non postrema data est virtuti Tuæ Provincia, Setinum: par suo nomini, quòd Tibi cederet in coronam gloriæ: ut nemo ambigeret, quàm rectè dici meruerit Stephanopolis, tam primo Authori, quàm Tibi Victori respô-sura. Sed cùm probè calleres formam imperandi, non nisi ex materia parendi pulcherrimè prominere: quantus iam esses, quibus passibus ad munia rectissimi imperii pervenire intenderes; gloriosa obsequii experimenta, ad nutũ INVICTISSIMI PARENTIS composita declaraverunt. Ab hoc, quidquid agendum esset, ordinari volebas; Ei vota & studia Tua exponebas; Jlle quidquid ageres, probabat, DUX ipse atq; Exemplum: Tu illa egisti, dignus Comes & Imitator, quæ probari merebantur. Impetrata Setini explorandi potestate, conceptam de Te omnium fiduciam, satis abundè jam ante probatam; consilii præstantiâ, sublimitate animi atq; ingentibus ausis, in omnem occasionem rei benè gerendæ intentus, ampliùs extendisti; non implendo modò, sed anteveniendo, superando. Nempe summas illas maximo dignas Imperatore, quas in suo celebrat Romanus Orator Pompeio, virtutes: laborem in negotio, fortitudinem in periculis, industriam in agendo, celeritatem in conficiendo, consilium in providẽdo; in Te sedem suam fixisse priùs docuisti, quàm

credi potuit:ſentientibus barbaris,gaudentibus Tu-
is, omnibus ſtupentibus. Veniſti ad propugnacu-
lum illud, munimentis validum, contumaciâ ho-
ſtium & robore firmum; quos vincere in prom-
ptu erat, ſeruare voluiſti, atq; adeò benignè pri-
mò invitâſti, ut tradita urbe, ſalutem, quàm rui-
nam mallent: utq; tantò efficaciùs efferatos emol-
lires animos, libertatem deditis; exſcidium, omni-
aqué belli mala devictis propoſuiſti. Cùm nihil
faciles apud pertinaces proficerent perſuaſiones;
tum demum contentione Principe dignâ, rem cœ-
piſti agere. Quamquam verò impigrè obſiſterent
barbari, haud quaquam talium rudes, non tulêre
nihilominùs impreſſionem atq; ardorem oppu-
gnantium: dexteritate, ferro, fugâ, diſſipantur.
Viciſti, expugnâſti, triumphâſti, PRINCEPS SE-
RENISSIME; nihil ex capto oppido, præter glo-
riam retinês. Nimirũ quibus victoria ipſa vitã &
libertatem eripuiſſet; Tu humanitate reſtituiſti:
qui fortunâ ſuâ oppreſſi fuerant, bonitate Tua re-
creati ſunt; non tam ferro, quàm benevolentiâ;
nec tam ſeveritate, quàm lenitate mancipati, æter-
num virtutis Tuæ monumentum. Et vincere
ſcis, & uti victoriâ non ignoras: contra obſtina-
tum hoſtem Victor miſericors. Felices victoriæ;
quæ & victoribus Nominis immortalitatem, & vi-
ctis adferunt ſalutem. Hoc illud magnificum o-
pus eſt, à multis tentatum; paucis conceſſum: eti-
am inter hoſtes venerationem virtutis, quam ode
runt, inveniſſe. Tibi hæc militat gloria; cui ma-
ximus viſus eſt triumphus; hoſtes ſervati, ſalus po-
pulorum, generis humani ſecuritas. Olim de Cæ-
ſare, jam de Te, PRINCEPS, enuntiabitur: nihil
fortu-

fortunam Tuam habere majus, quàm ut poſſis; nihil melius naturam, quàm ut velis, conſeruare quàm plurimos. Reſpicimus hanc ſalutarem Cynoſuram, ſed Solem agnoſcimus, illuſtrantem remotiſſimos etiam Orbis habitatores; meliùs deſinentem in proximos. Documentum virtutis & præſtantiæ exhibet animus tenerior in milites, inter anguſtias temporis & loci deprehenſos: quorum amori illud concedebas, quòd ſingulorũ pericula proprio auertere diſpendio cuperes. Hoc tandem his actionibus obtinuiſti, ut omnes pro Te timerent, donec reducem feliciter in Patriam cum Auguſto Parente votis & plauſibus exciperent; etiam Clypeis, antiquorum exemplo bellatorum, parati.

Tantis periculis perfunctum, partâ inſigni gloriâ; emeritæ ſtationis requiem ſectantem, quis vidit Principem noſtrum? Non facilè à ſe generoſa impetrare poteſt anima; cui inſedêre

Blandus honos, hilarisq; (tamen cum pondere) virtus.

ut non omnia experiri malit, quàm otiari. Nec pigra quies, nec vita ſecura;

- - - - - - Nec ſpes

Improba; ſed medius per honeſta & dulcia limes,

ſibi propoſitus; ut ſolidam illam & expreſſam, illuſtrem & pervagatam, multorum & magnorum, vel in Patriam, vel in omne genus hominum famâ meritorum poſſideat.

Poſt perſoluta Superis pia vota, ſolenneſquè gratiarum actiones, ob felicem in Auſtria & Pannonia ſucceſſum, PRINCEPS SERENISSIME, inchoatæ Magnificentiæ, ad Orbis tutelam, ad firmandam rei Chriſtianæ fortunam, pretioſas impende-

pendere curas & ſtudia, indefeſſa Tua cura & ſtudium. Per ſtabiles rerum geſtarum excurſus, ducimur ad interiores mentis contentiones : ex ſemel inceptorum operum conſtantia, colligimus nobiles boni publici cogitationes. Narrant labores indefeſſos, in Caſtrenſi collegio æſtates inter bella ſudatas, dies noctesq; inter Mæotica portẽta, & vigilias conſumptas, atq; tot incommoda animosè ſuperata; campi Budziacenſes, ad exercitium patientiæ ardore Solis, & infeſtâ ignium ſubmiſſorum violentiâ percocti ; atq; ipſa Dacia; infractum animo admirata: narrat Camenecum ſtupenda molimina, præfervidam immodicè virtutem, majoris diſcriminis aleam ſemper depoſcẽtem, ad ipſius fortunæ laſſitudinem. Hîc me inſolitus quidam horror tremorq; concutit; & ora, vultum, membraq; omnia pervadens, vocem eripit, verba præcludit: concido pavidus, ubi virtus Tua periculis interrita, clades, vulnera, & plurimam mortis imaginem deſpiciens, laudabiliùs eminuit. Extremi res periculi videbatur; inter volitantes circumquaq; cum horribili fragore fulminantium tormentorum procellas, & igneas glandes, ſibi imminentes, incidentes ſibi verſari : Tu tamen Superis ad ſumma vocantibus, non jam Spartana, ſed Polona animoſitate obſtinatus; hæc omnia intrepidus ſpectâſti; tantis periculis nobile caput objeciſti : per calcatas barbarorum minas, per ſubſtratas leti formidines, per cruentos debacchantis furoris horrores; liberãdo in turpe ſervitiũ dejecto Orbi, ſacris tutandis, digna Diis libertate, opem laturus; contendiſti : tantis impendiis auguſtæ Magnificentiæ magnanimus Auctor.

In vaſto

In vasto laudum Tuarum Oceano, PRINCEPS, quò altiùs provehor, eò majorem in infinitum se se pandentem experior vastitatem, cui superandæ tenuis exilitas non sufficit. Neq; verò hîc servilem fingendi artem, aut Oratoriam in majus auxesim quisquam opponat; donec per singula Tua decora, oculos, mentem & animum circũferat; profectò novum semper aliquid inveniet, quod ad dicendum occurrat: præsertim cùm Tu continuam præclarè factornm accessionem adiicere non desinas; belli vel pacis muneribus intẽtus. In quibus illam occupationem reputas jucundissimam, quam laus condire solet, quamqué dignitatis commendat pulchritudo. Quare cùm probè scias nihil magis in animis nostris admirabilem illam honestatis imaginem depingere, atq; virorũ optimorum consuetudinem: optimus ipse, hos in amicis habes, qui optimi, quiq; doctissimi: hos perquiris, hos aulæ & lateri credis, foves & promoves, qui probitate cum doctrina excellunt. Respuis, despicis, non aconittis nefandam assentationis & blandiciarum pestem; dicam infames scopulos, Acroceravnia, non vnam Cæsaris fortunam, sed tot regnorum potentissimorum integritatem, & pænè Orbis uniuersi tranquillitatem labefactantes. Ubiq; tandem eminere facis celsam indolem, apertam mentem, candidos mores, indeffessum benè merendi de omnibus studium.

Quæ major, hâc, Magnificentia? quæ Attalicis potior conditionibus possessio? quæ augustior magnitudo? Lætis hanc excipimus prosequimurqué gaudiis: ne desideret posthuma ætas, Tu laudabiliter, piè, sanctè provides: priscum mortaliũ bo-

N num,

num, fulcimentum generis humani, primam legẽ mundi, ſacrum amicitiæ coniugalis vinculum; dignitate, vtilitate, jucunditate commendatiſſimum; arctiſſima animorum unione individuam vitæ cõſuetudinem connectens; adſciſcendo, ſubeundo. Sic Tuam ſpem præſtas DEO, gaudium populis, noſtris temporibus ornamentum, futuris pignus inæſtimabile. Magnificentiam numeroſitate magnorum decorum ornatam, altiùs aſſurgere facis, dum publicæ vtilitati intimiùs conſulis, communicatis virtutum & gloriæ à vicino Sole ſplendoribus. Verum enimverò

Qui nouus huc noſtris ſuccedit ſedibus hoſpes?

cui tantarum gloria rerum ſubmittit animum Amori? quod aut unde, ad maiora nitenti PRINCIPI Noſtro, novum decus & robur? quæ vitæ, ſolatiorum, intimarum cogitationum, laborum & (fauete Superi) periculorum ſocia? Plaudat Orbis; gaudet noſtra Sarmatia: SERENISSIMA PRINCEPS HEDVIGIS ELIZABETH AMALIA, gemma decusq́; Heroici Stemmatis Palatini; Tu inflectis ſenſus; animum impellis, ſuaviſſimâ virtutum Tuarum gratiâ, velut Amphionis vel Orphei fidibus delinitum; ut per ſacram conjugalis vnionis harmoniam, Sereniſſimi Sangvinis retinaculum, auguſtam Magnificentiam firmiùs ſolidet, ſpecioſiùs ornet. Amænitatum feſtivitates, puriores illecebræ, Orationum veneres, eloquentiæ floſculi, ſermonis gemmæ & lumina, ubi eſtis? In tam decoro dicendi argumento, exultare debent verborum lepores, & omnis Suadæ venuſtas: hîc, quidquid vel ad hilaritatẽ decoris, vel ad ſuaviora mentis auriumq́; lenocinia dulcedinis,

vel ſplen-

vel ſplendoris ad Majeſtatem, habet compta dicēdi ratio: totum illud officioſo effundat cultu, totum ad ſummam dignitatem impendat. Sed quis nitor facundiæ, tantam materiæ claritatem exprimere poterit, vel argumenti præſtantiam qui decor dictionis aſſequi? Averſo agit conſilio, qui molitur illuſtrare pigmentis lucem, & adſcititiis congenitam decorare pulchritudinem ornamētis. Maxima decora; & quæ ingenti ſe ſe agmine infundunt rerum ſpecies, in Tuæ gloriæ Magnificentiam, SERENISSIMA SPONSA, ſublimem etiam deprimunt facundiam, exquiſitum abſumūt ornatum, omnibus numeris abſolutam confundunt Orationem. Quæ Tecum ducis in comitatu, majora ſunt, quàm ut illa capiat modus ſermonis humani. Summa Generis cum virtute conſenſio, in unum geminorum ſplendorum coaleſcens fœdus, diſtrahit per ſingula diſperſum animum, inter gaudium & admirationem penitùs hærentem; quid, quaué viâ pr[illegible]atur: ad deſperationem tandem redactum, quod nec totam, nec per partes euntem amplecti poſſit magnitudinem. Quàm capax ille fuerit, qui tam immenſam SERENISSIMÆ DOMUS NEOBURGICÆ gloriam colligere ſufficiat. Domus hæc AUGUSTISSIMORUM IMPERATORUM, MAXIMORUM REGUM, & PRINCIPUM implexa Stirpi; faſces omnium dignitatum, ſacros honores, fortunam deniq; parem complexa, circum allucētem ab ultima repetita ſui origine claritatem oſtēdens, culmen laudis obtinet.

Grande & ingens nomen AUGUSTISSIMÆ DOMUS AUSTRIACÆ, ab ipſo Heroico ſecu-

lo per plurimas ætatum ſucceſſiones producta, per ſedecim Summorum Principum claſſes, è quibus veluti è fontibus promanat, glorioſè deducta celſitudo: ejuſdemq; zelus pro Chriſti fide, admirandæ victoriæ & triumphi, profuſa in genus humanum beneficia, continua in Orbem uniuerſum promerita; Diis miſcent Superis, Familiæ Veſtræ, SERENISSIMA SPONSA, dignitatem: numeratis tamen inter cognata decora, etiam CATHOLICISSIMAM Hiſpaniæ Majeſtatem, SERENISSIMUM Portugaliæ Regem, & celebratiſſimam toto terrarum Orbe SERENISSIMORUM PRINCIPUM PARMENSIUM gloriam. Quæ cùm ego diligentiùs cogito, pavidus & ſtupens, ultrò Muſonium advoco dicentem: Admirationem, quæ maxima eſt non parere verba ſed ſilentium. Icarum vellet æmulari; quiſquis ceratis opè Dædalea ſuſpenſus pennis, in altiſſimo SERENISSIMÆ BOICÆ & PALATINÆ DOMUS Cælo, tã ingentibus per ſecula luminibus aucto, liberiùs progredi tentaret: vitreâ experturus fortunã, vitreo daturus nomina Ponto; maximis, quibus circumfluit ſplendoribus, aduſtus. Domûs iſtius vetuſtiſſimæ; tot Imperatorum, tot Regum, Principumq; Genitricis, aut Affinis, nobilitas, claritudo, dignitas, opes, potentia, par cælo majeſtas; non ab Oratoris fide, ſed à ſeculorum ſerie, à rebus toto Orbe geſtis, ab hiſtoriis annalibuſq; exigenda eſt.

Agnoſco Generis & gloriæ Tuæ, SERENISSIMA SPONSA, fontem inexhauſtum, Imperatorio inſignem diademate, Regiis decoratum honoribus, domeſticis faſcibus illuſtrem; nec unquam

quam satis dignè celebrandum: cui Tu quoq; succedis in coronam, non indiga laudum Paternarũ. Quid non magnificum? quid non illustre? vel Lyncei repererint oculi in SERENISSIMO PARENTE: cujus quidem laudes, cùm nullus inferiorum labor curaq; possit exæquare dicendo; summus ille belli pacisq; Arbiter, terror Turcarũ & Triũphator VLADISLAUS IV. Regũ Fortissimus, pariter ac Felicissimus, Princeps æternũ memorãdus, æquã dabit æstimationẽ; sine affectu judicans, quia Patriæ suæ amantissimus, etiam cùm vita deficeret. Quid ille? successorem suum in solio SERENISSIMUM PRINCIPEM NEOBURGICUM intimè optavit, & ultimis commendavit Poloniæ tabulis. Quid eâ commendatione sublimius cogitari potest? quæ intra vota sua habet, id omne, quidquid Heroicis mentibus optabile vel supremum est. Et Regiæ quidem virtutes, prudentia, regendi populos peritia, comitas, justitia, clementia, animi magnitudo, & reliquæ p elliq; artes, adeoq; ingens purpurati sanguinis reditas, pellexerant Libertatis Polonæ teneritudinem, ut hunc sibi Regem deposceret: jamq; Fortuna Regni, sceptrum & coronam illius bis aptabat Augustæ Personæ, nisi aliam fata viam invenissent. Ad virtutis censum spectat, addereq; operæ pretium est; etiam bicipitem Imperii Aquilam, in conspectu tanti PRINCIPIS; sua ostentâsse Insignia, ut reddidisset certiorem augurio, æquam Regibus dignitatem Electoralem; jam olim promeritam, tandem aliquãdo plena felicitate illi deferendam. Verùm quæ tã divitis venæ copia? quod robur eloquii, potest di-

gna. Magnis decoribus tanti PARENTIS, inveni-
re verba? cui ſua ſublimitas pretium, & dignitas
eſt. Illud tamen incertum eſt; plùſné eidem ſub-
jecti populi, an tot inſignia regna debeant? Popu-
lorum quidem ſubjectorum pietas, publicæ ſalutis
paciſq; Auctorem, ſecuritatis Conſeruatorem, Pi-
um, Juſtum, Pacificum, & omni laude digniſſimũ
PRINCIPEM, ſummo ſtudio & deſiderio cele-
brat; æternam Ejus Nominis memoriam gratiſſi-
mis inſcribens pectoribus. At regna & gentes
vicinæ remotæqué, eo titulo ſunt illi obſtrictæ,
quòd beato germine, optata progenie, ſalutari ad
hereditatem, ſuffragiaq; imperiorum fecunditate,
ſpes dubias depulerit, certas impleverit. O quã-
ta hîc laudum congeries! quantus Familiæ honos!
per nobiliſſima & ſuprema Reipublicæ Chriſtianæ
ſtemmata ſanguinis commercium deducere: hoc
ipſo longam ætatem demereri. Magnum eſt in-
defeſſa ubertate, tot iam exactis ſeculis, ſimul
ſplendere, & clari[illegible]eneris, & honoris eminẽ-
tia: nec minor tam[illegible] laus eſt, fecundâ Heroici
cruoris venâ, tot votis gentium ſufficere.

Quid dicam de pretioſiſſima SERENISSIMO-
RUM FRARRUM TUORUM corona? pluresſ-
ne an unum dixero? in ambiguo hæreo: ita enim
omnes eadem animati viſuntur mente, ac virtute,
ut unus credi poſſit: ita ſinguli præclaris eminent
geſtis, ut reducti in ſeipſos, pulchra gemminatione
virtutis, pluribus reſpondeant. Verbo dixiſſe ſuf-
ficiat; omnes illos Divinitùs datos eſſe, in quibus
ſingulis virtutes ſimul omnes vigeant, quæ ſingu-
læ de omnibus prædicantur. Quilibet ex his A-
chilles, ſuum Homerum; quilibet Cyrus ſuum Xe-
nophon-

nophontem poſcit; ne umbratilis hæc pagina capiat: habeant vel inde amplitudinis ſuæ documẽtum, quòd exilis parcitate elogii circumſcribi nõ poſſint; quibus Patria, Eccleſia, Orbis, parandi æviterni Nominis theatrum aperuit, ut habeat pietate Numas, Sapientiâ Cæſares, magnanimitate Scipiones, ardore in Eccleſiæ bonum Ambroſios.

O! quam Te memorem, VIRGO,*namq; haud Tibi vultus*
Mortalis,

in quo pulchrum omnis elegantiæ ſchema cùm ſupereminear, virtutum deinceps ornatus, in tam eximia ſpecie, in hoc ſimulacro mentis emicans, tam politus cernitur, ut inſignem SERENISSIMI Sanguinis colorem, aucto propriarum virtutum cenſu, gloriosè inſigniat. Pulchra eſt ſymmetria corporis; naturæ privilegium, donum fortunæ, muta commendatio: ſed pulchrior animi decor; cæli beneficium, ſpecies Omnipotentis, Numen terreſtre. Digna eſt connexio generis cum forma; ſed dignior utriuſq; [illegible] cum virtute. Aſſurgimus tanto honori, in [illegible] ffulgenti, Pulcheria noſtra, SERENISSIMA SPONSA; penduli tamen admiratione, quod recenti legimus aviditate, proſequi neſcimus laudatione. Spectamus enim in Te, formã cũ pudicitia, pudicitiã cũ probitate, probitatem cum comitate, hanc cum pietate, quæ Tibi Patria & cum lacte hauſta virtus eſt, ita certare, ut quod potiſſimùm laudemus, aut admiremur, ſolicitam effugiat mentem. Hoc unicum ſuppetit in Te ſuſpicientibus illuſtre morũ palatium, omnium laudatiſſimarum actionum penetrale, egregiam & verè Regiam ſummorum decorum ſedem; ut liceat exclamare:

Cedite jam Diuæ, quas Paſtor viderat olim
Idæus in verticibus.

Fragile vos bonum Judici Paſtoritio ſubmiſiſtis: nec ultra, quàm pretium adiudicandæ formæ poſcebat, ſeu valebat, ſingulæ parca liberalitate ſpõdebatis: noſtra SERENISSIMA HOSPES & SPONSA; & generis, & naturæ, & propriis ornamentis; & quouis genere laudis præſtantiſſima; judicium illud deſpicit, litigium ridet, non timet eventum, terris cæliſqué faventibus. Tota candidiſſimi puritas ingenii, tota elegantis animi venuſtas, totus Virginei decoris apex, tota innocentiſſimi cordis gratia in illa relucet. Eruditorum ſomniorum fætus, Poëtatum nata, figmentis nobilior quàm ornamentis Pandora, non ampliùs Orbis aucupabitur venerationem; digniore jam ſpectaculo ſplẽdorũ excitatur. In Te SERENISSIMA SPONSA integra perfectio, dotes naturæ & animi copioso defluxerunt cælitùs imbre: in qua celſiſſima mens cũ venuſ[illegible]pore; frontis decentia, cũ excelſa prudentia [illegible]mpoſita gravitas cum ſumma affabilitate, atq; reliqua bonæ mentis decora tanquam pretioſi lapilli radiant. Fuerit magnũ, aliquãdo longã Homeri Iliadẽ levi inſertã mẽbranæ, vix unius nucis incluſiſſe putamini: majus in Te Sarmatia ſpectat prodigium, ſimulqué concipit gaudia: cum eximio morum contextu, numeroſa tot ætatum, tot Magnorum Nominum, tot virtutum compendia, & quidquid ſumma poſcit eminentia, complexa, in Orbis noſtri lucem producis. Tam ſpecioſa pompa, quæ cingit venientem; tam ſolida, nec ex aduentitio fulgens magnitudo, non docilis artis ingenio fabrefacta,

ſed ex-

ſed excellentis Naturæ ductu, Magiſtra Virtute in præclaris actibus elaborata, gratioſa ſpecie omnes detinet; completq́; deſideriorum ſummam, ne ambiat antiqua illa probitatis nomina, Livias, Portias, Sulpitias, Cornelias, Lucretias, Aſpaſias; Te una tenente, quæ ſingulas beaverunt.

Inter hæc, dum mens illecta gaudio non ſatis verba eluctatur; auguſta SERENISSIMÆ PARENTIS Tuæ ante oculos obverſatur imago. Quam ingens negotium! quod cùm expedire nequeo; æternæ memoriæ traditum intelligo, omnium virtutum illibatum decorem excelſo gloriæ coronatum faſtigio, in Te transfuſum agnoſcens. Non potes non eſſe ſimillima tantæ origini, SERENISSIMA PRINCEPS. Fecit PIISSIMA PARENS, ut avita Majorum lumina in Te deſcenderent; ſed ſtudioſiùs adlaboravit, ut innocui primo cum nectare mores inſtillarentur, imprimerenturque niveæ menti & quam ſemel ſuſcepit pio zelo, retinui[illegible]ſtanti perſeverantiâ, Catholicæ Religionis [illegible]vantia.

Quocunquè ergò progrediaris, abeſſe à Fortuna Tua & Indole non potes; magno Te comitatu ambiunt virtutum apparatus: viam Tibi præeunt aliæ, aliæ latus cingunt utrumq́;, ponè ſequuntur aliæ: Pietas, Pudor, Conſtantia, Integritas, Candor, Innocentia; tantuſq́; Gentis honos! Ingredere felix Regni Noſtri limina; iunge Gentilitia Inſignia Poloniæ ſplendoribus; utramq́; adimplebis paginam, recreabis Gentem. In aureo Lechiæ campo virtutum expande ordinem; ſpecioſiùs efflorescet. Paterni, Materniq́; Generis Leones, Regnatrici Aquilæ ſancto ſocientur fædere; ut ex

fortibus egressa dulcedo; Nectar DEO, Patriæq; affundat. Martius SERENISSIMI SPONSI Clypeus, pellucidus & illimis, nullam adversam passus manum; Tuam admittet cælaturam, pretiosos Rhomborum adamantes, & Liliata Sceptrorum gloria, à suo non abhorret ingenio: imò si ludere velit Fortuna, ut eludatur, commodè in hac Tabula Latrunculi deponentur.

Hæc in amplo laudum Vestrarum theatro, SERENISSIMI PRINCIPES SPONSI, eâ, quam publico lætitiæ edicto dedistis, licentiâ, dum ludimus, magna parvis tenuando modis; panditur interea Augustæ Magnificentiæ Pantheon, non geminis Martis Venerisqué sacratum Numinibus (quanquam & horum titulo solenne Nuptiarum festum censeri non dedeceret) sed Divinis Vestris visendum Virtutibus, quæ coniuncto ingeminant splendore diem. Ergò ad insuetum lumen quãdoquidem acies u[illegible]lis torpet, nec, in tantæ revelatione Majest[illegible]tiscens ingenium, iuvat facundiæ ruinâ tuer[illegible], in vota desino; quæ è pura piaqué mente profecta, magis quàm meditata verba, Principibus probantur; & à Cælo æstimantur. Huc jam succede terna Charitum corona sororum, huc Musæ decentes, Nympharumq; chori spargite flores, æterno Vere rubentes: hoc munere Purpurei benè coluntur Hymænei. Decet Orbis totius festo lætoqué die ire in plausus Cælum, ut pretiosa tempestas, aurei imbres, gemmarumqué grando, alto proxima Solio coniugia honorent. Decet homines solennibus obstringi votis; ut qui spem, opem, salutemqué populorum

lorum complectitur Hymen, in amplexu & perpetuo Superûm favore, triumphet. Hoc agimus Jagelloniis devota pectora Camænis ante Thronum Gratiæ Tuæ supplices, summe Divûm hominumqué SATOR: Divino cuius auspicio Principum connubia panguntur ; & Reges in ipsos imperium est : ut Regiis eximium decoribus, fatoqué conjunctum potenti SERENISSIMORUM PRINCIPUM Martiale vinculum, adamante supremæ benedictionis firmum & diuturnum efficias ; infestis casibus, & levis fortunæ ausu intemeratum esse velis, iubeasqué. Tam perennibus innixa munimentis, & velut secundis sublata alitibus, ipsâ etiam Magni Nominis & ingentium meritorum famâ elevetur super cælos, vitâ manente, Augusta, quam in vobis adoro, SERENISSIMI PRINCIPES SPONSI, Magnificentia: nec desinat terris diu ... erè imp...